
CASTI INNOCENTIS ANSALDI ORDINIS PRÆDICATORUM VINDICIÆ MAUPERTUISIANÆ...

Casto Innocente Ansaldi


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
D
2
NAPOLI

CASTI INNOCENTIS ANSALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM

VINDICIÆ MAUPERTUISIANÆ

AB ANIMADVERSIONIBUS

VIRI CLARISSIMI

FRANCISCI MARIÆ ZANOTTI

QUIBUS

Quantum Philosophia morali Stoicorum Religio præstet in infelicitate vitæ minuenda demonstratur.





VENETIIS
Apud PETRUM VALVASENSEM.

MDCCLIV.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



EXCELLENTISSIMO REVERENDISSIMOQUE
DOMINO

D. NICCOLAO COLUMNÆ

EX PRINCIPIBUS STYLIANI,

Protonotario Apoſtolico de numero Participantium, Utriusque Signaturæ Referendario, Ferrariæ Vice-Legato, &c. &c. &c.

CASTUS INNOCENS ANSALDUS
Ordinis Prædicatorum.



TSI diu anceps fuerim, EXCELLENTISSIME REVERENDISSIMEQUE PRINCEPS, *num de Elucubratione hac mea illuſtriſſimo tuo Nomini conſecranda cogitarem, magnique momenti argumenta non deeſſe intelligerem, quare ab hoc auſu abſtinendum eſſe mihi videretur: quum ta-*

men aliæ se se menti obtulissent meæ potentiores caussæ, quibus ad id audendum vehementius impellerer, animum tandem erigendum duxi, spemque concepi fore, ut non omnino invitus meum me exequi consilium paterere. Non erat sane dubitandum, mihi hanc rem primum meditanti se se statim spectandum præbere debuisse insigne Genus tuum, cujus solum Nomen, altum quiddam, augustum, excelsum, inclytum, heroicum, menti offert, eminetque inter ea, quæ Romam, quæ Italiam, quæ Europam, Ecclesiamque jamdiu ornaverunt universam. Accedebat consideratio spectatissimæ Dignitatis tuæ, illarumque ampliorum, ad quas tua Te, EXCELLENTISSIME REVERENDISSIMEQUE PRINCEPS, *rara mox ducet prudentia, celsitudo animi, sapientia præclarissima, ceterarumque complexio virtutum, quæ omni loco & tempore, nobilissimi instar satellitii, Tibi famulantur; tantarumque cogitatione rerum ita a vix suscepto consilio deterrebar, ut meo me pudore verecundior involverem, fidenterque nimis con-*

ceptum

ceptum desiderium animo premere & occultare constituerem. Quum improviso nova mentem subiit cogitatio, qua paullatim vires ipsa sumsit, tantumque ne facinus experiundum adhuc foret, iterum deliberavit. Nam quum tota Disputatio hæc mea celebrandæ confirmandæque Religionis dignitati instituta esse videatur: quumque tanta sit pietas tua, tantumque Religionis studium, ut ipsam magis, quæque ad eamdem pertinent, quam Genus & Proavos, celebritatemque nominis, & opes ab eisdem acceptas, aut quicquid mortale denique & periturum est, facias; heinc ipse Te magis cœpi ex moribus spectare tuis, quam ex Majestate & Dignitate, inque animum induxi meum, fore, ut videri Tibi posset argumentum saltem Operis acceptum. Verebar adhuc tamen ne molis exiguæ libellus haud dignus esset, qui Tibi, ingenio, virtute, fortuna infinitum in modum præstanti, EXCELLENTISSIME PRINCEPS & REVERENDISSIME, *nuncuparetur; sed metum & dubitationem demum omnem abstulit præclarissima,*

qua fulges; animi facilitas, suavisque erga omnes voluntas & lenitas, sermonis affabilitas, & insita illa cupiditas benefaciendi, quæ serpit, nescio quomodo, per omnes actus tuos, neque ullum eorum esse patitur expertem sui; cujusque testes profecto & vades sunt, fueruntque tum maxime Ferrarienses, quum fato ipsis erepto Johanne Baptista S. R. E. Cardinali Barnio, ipsorumque a Latere Legato, Tu, diu multumque, solus Rempublicam eorum feliciter adeo humaniterque administrasti, ut sicut nihil prudentia tua majus, ita nihil benignitate comitateque tua melius aut excogitari, aut repeririri posse unanimi omnes admiratione & consensione adfirmaverint. Tam amabili ipse igitur indoli confisus Maupertuisianas hasce meas, Tibi, Excellentissime Reverendissimeque Princeps, *offero Vindicias, quam dum libenti animo acceperis, tanto minus gloriæ officies tuæ, quanto magis & apertius, ejusmodi agendi ratione, Tu te numquam ab humanitate tua posse discedere ostendes.*

LE-

LECTORI.



CUR hoc de argumento egerim, & quare ita scripserim, paucis docebo te, amice Lector. Ea inter studia, quæ Ecclesiastici homines fovere debent, maximo habendam in pretio moralem Christianorum Philosophiam arbitratus semper fui; non modo quod ejus ductu in recta ordinataque vivendi ratione homines instituantur; verum etiam quod, ætate nostra, inimicorum quorumdam arte hominum, ii, qui sacris Dogmatibus, & Ecclesiæ ministerio addicti sunt, temeratæ violatæque moralis Doctrinæ summam per injuriam postulentur. Barbeyracius, celebris ille Pufendorfii Interpres, quo laborem suum novitate aliqua imperitis commendaret, infinitam contexuit Præfationem, in qua totus fuit in veteribus Ecclesiæ Patribus, ceu moralis Doctrinæ corruptoribus, sine modo criminandis; eo, ut reor, Præfationis singularis adeo facinore, Calvini se, Casauboni, & Thuani famam consequutum arbitratus, quorum ad Institutiones Christianas, ad Historiam sui temporis, & ad Exercitationes in Baronium, Præfationes, aliis licet de caussis, omnibus tamen absoluta numeris, & Sæculi Opera, ab hominibus

bus

bus illarum partium solent appellari. Summa igitur, nimiaque injuria affectis Ecclesiasticis Scriptoribus, inferrendum tandem duxit Barbeyracius, morum Doctrinam a publicis Religionis Ministris neglectam, & ex Orbe pene pulsam, ad Laicos, & ad profanos eruditos homines, se demum recepisse, a quibus comiter magis, & benignius excepta est: *La Morale ainsi negligée, & presque bannie du monde, par les Ministres Publics de la Religion, s' est refugiée chez les Laïques, ou les simples Gens de Lettres, qui lui ont fait un beaucoup meilleur accueil*. Comparat ille Sanctos Ecclesiæ Patres cum Sacerdotibus Gentilium, qui solis de ritibus & Mysteriis solliciti, moralem Doctrinam Philosophis tradendam relinquebant; quod a Laicis, ut ait, hodiernis æque factum. Verum, ut falsa, & calumniosa est tota illa comparatio, fuisset etiam primum Barbeyracio distinguendum inter præcepta moralis Doctrinæ, ejusque summa Capita & Principia; inter morum nempe regulas, & Dogmata existentiæ Divinæ Naturæ, & Providentiæ, immortalitatis animorum, & futuræ vitæ statuum, quæ necessaria sane sunt cujuscumque juris fundamenta. Eo autem ita constituto, Barbeyracium rogassem, num veteres Philosophi, qui recte adeo, ejus sententia, bene ordinateque vivendi præcepta tradidere, æ-

qualem

qualem inde habuerint allegatorum Principiorum rationem? Non adfirmasset hoc ille certe, ut ex iis eruere est, quæ in citata docet Præfatione, & in Adnotationibus ad Pufendorfium; utque videre erit ex illorum Specimine doctrinæ, quod exhibebimus in Elucubratione nostra. Quanto minus igitur erravere Gentiles Sacerdotes, nonnulla aut negligentes, aut male applicantes moralis Scientiæ præcepta, Laicis illis morum Magistris, qui præcipua everterunt juris principia & fundamenta! Pene idem de Laicis aliquibus posterioribus relate ad Patres statuendum. Ut ut enim, ceu per hypothesim, Barbeyracio concederemus, hosce humani aliquid remotissimis in consequutionibus, & minimis in rebus, passos; num summa fortasse disjecere morum fundamenta & Capita; uti Hobbesius, Bælius, totque alii profani morum Scientiæ Magistri, veteres Atheos, Scepticosque, ubi de summis altissimisque principiis sermo est, probe imitati? Numquam certe magis quam hoc tempore falsum fuit, Doctrinam morum ab Ecclesiasticis neglectam, profanis fuisse ab hominibus, nempe Septentrionalibus, sancte inculpateque pertractatam.

Invidiosam tamen Barbeyracii criminationem a pluribus fuisse Orthodoxis scriptoribus rejectam, Sanctosque Ecclesiæ Patres vindicatos, ignorat

 nemo,

nemo ; illud imo ſane magis quam neceſſitas poſtulare videbatur. Num enim in veterum lectione Patrum adeo verſatus erat Barbeyracius, ut jure poſſet de illis judicare? Tota profecto, qua ſe ornatum oſtentabat, eorum in ſententiis peritia, in Bælianis demum, aut ſimilibus Commentis exſcribendis ſita erat ; nec niſi imprudentes , incautosque fallere tandem poteſt ejusmodi Interpres ; quem , ſi licuiſſet , rogatum ipſe voluiſſem , ut , omiſſis Patribus , & Eccleſiæ Scriptoribus , quorum idoneus Judex eſſe ipſe , ejusque Lectores non poſſunt , de Recentioribus potius verba faceret , reſponderetque , Laicus ne , an Eccleſiaſticus fuerit Machiavellus ? Eccleſiaſticus ne , an Laicus fuerit Fenelonus ? Hoſce igitur conferret , videretque, num hominem de Doctrina morum hoc tempore ſollicitum, ad priorem confugere oporteret vitæ civilis & aulicæ Magiſtrum, an vero ad poſteriorem? Collationem porro illam novimus factam præclariſſimo illo ab Auctore , quem ætas noſtra alterum veluti M. Aurelium Antoninum veneratur ; ab Auctore, inquam , Anti-Machiavelli , ita Capite illius Operis ſeptimo ſcribentis : *Comparez le* Prince *de Fenelon avec celui de Machiavel , vous verrez dans l' un de la bontè , de l' equitè, toutes les vertus. Il ſemble que ce ſoit une de ces Intelligences pures,*

res, dont on dit, que la sagesse est prèposè pour veiller au Gouvernement du monde; vous verrez dans l' autre la scèleratesse, la perfidie, & toutes les crimes. Il semble que notre Nature se rapproche de celle des Anges, en lisant le Telemaque *de Fenelon; il paroit qu' elle s' approche des Demons de l' Enfer, lorsqu' on lit le* Prince *de Machiavel.* Qua sola animadversione, omnia illa Barbeyracii, contra religionis Ministros dicteria, abunde compensata esse arbitror; quum tanto majus sit quod nobis oritur ex ea decus, quanto sublimior & sapientior mens illa est, e qua ejusmodi comparatio precedit. Gloriosissimus siquidem Machiavelli Adversarius, ut in Præfatione illius animadvertit Libri jure & merito Voltærius, est illos inter Heroas numerandus, quos benigna interdum terris concedunt fata, absolutissimum mortalibus virtutis exemplum ostensura; adeo enim contra Machiavellum egregie disseruit, ut dum ad seipsum scribere, sibique modo præcepta constituere virtutum credidit, ea denique statuerit, quæ omnium præcepta Regum jure summo appellari meruerunt.

Quoniam tamen Barbeyracii Opus omnium manibus adhuc teritur, & imperitis, ut diximus, facere fucum pergit; inde est, Ecclesiastici ut Viri, quo illam adeo temere sibi im-

pactam demum abstergant maculam; illamque calumniæ nebulam ab omnium mentibus disjiciant, inde est, inquam, ut nullum ipsi non movere debeant lapidem, nullamque prætermittere occasionem, quare se moralis Philosophiæ, & Doctrinæ, quam maxime sollicitos ostendant; uti, Numinis beneficio, præstant in præsens Ecclesiastici omnes Orthodoxi Scriptores; quorum Opera, sapientia & pietate maxima referta, Barbeyraciani improbitatem Cogitati manifestissime ostendunt. Ut igitur meam & ipse pro viribus symbolam conferrem, quum Cl. Virum Maupertuisium, qui moralem Christianorum Philosophiam, in humanæ etiam felicitatis negotio, solum quærendam statuit; nec idoneam ad vitæ statum infelicem minuendum esse arbitratus est moralem Stoicorum Philosophiam; quum illum, inquam, non omnino probare visus esset præstantissimus alter & celeberrimus Vir, Franciscus Maria Zanottus, qui, vel in conspectu Christianæ Philosophiæ, non modicam adhuc haberi oportere censuit Philosophiæ moralis Stoicorum rationem; heinc prioris Vindicias statim suscipiendas duxi; quare, adversus Barbeyraciana præconcepta, omnes demum intelligerent; in regione Ecclesiasticis referta Viris haud minore studio pretium celebrari Philosophiæ moralis Christianæ, quam in regione, belli præ-
fer-

ſertim & pacis artibus , profaniſque ſcientiis addicta.

Unum eſt reliquum , de quo dicendum reor. Cur ſcilicet quum præclariſſimus Zanottus ſuas in Maupertuiſium Animadverſiones Italico ſermone ſcripſerit , ipſe latino utar. Nam , inquiet fortaſſe aliquis , ſi ideo abs te , factum id eſt , quod tui ſtilum & elegantiam Adverſarii æmulari deſperabas , eadem de cauſſa , ab eo, quod uſurpaſti , ſcribendi genere abſtinere potuiſſes , quum latina non minus quam italica nitide ornateque ſcribendi peritia carere videaris . Nec profecto ita arguens, male cogitaret. Plurimum diverſa tamen fuit cauſſa , quare vulgari a ſermone abſtinendum duxerim . Non enim quod longe a ſtilo abſim & ab elegantia mei adverſarii , ſed quod docta & ſapienti ejus arte , & quadam ejus , quam nemo poſſet imitari , caream ſolertia , id conſilii demum cepi . Quum enim ubi in Diſputationem ſumma veniunt & altiſſima Religionis & Legum principia , ſit ſane tota illa concertatio imperito Vulgo occultanda ; tanta ille tamen dignitate & gravitate , tamque ſingulari circumſpectione ſuam temperavit ſcribendi rationem , ut, tametſi vulgari uſus ſit ſermone, prudentioribus ſolum tamen & doctioribus verba feciſſe videatur ; quam non minimam tanti Scriptoris eſſe laudem fatentur univerſi.

verſi.

versi. Ipse igitur, qui adeo difficilia neque longe sequi poteram vestigia, Eruditorum lingua, profanorum hominum palato minime suavi, (abundamus enim nunc dulcibus vitiis, dulcibus erroribus, linguis dulcioribus) eorum oculos ab horum inspectione arcanorum submovendos duxi, pervia hac arte præstantioris carentiam artis suppleturus; quod æqui bonique ut facias Lector obsecro, & rogo; tuo ceterum arbitrio qualiscumque hujusce Operis judicium relicturus. Vale.



NOI

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Casti Innocentis Ansaldi Ordinis Prædicatorum Vindiciæ Maupertuisianæ ab Animadversionibus V. Cl. Francisci Mariæ Zanotti &c.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Pietro Valvasense* Stampator di Venezia che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 9. Luglio 1754.

[Z. Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Riff.
[Daniel Bragadin Kav. Proc. Riff.
[

Registrato in Libro a Carte 53. al Num. *396.*
Giacomo Zuccato Segr.

Adi 13. Luglio 1754.
Registr. in Libro del Magist. Eccel. dei Sig. Esecutori contro la Bestemmia.
Gio: Battista Battisti Segr.

ERRA-

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 26.	l. 7.	inferret	inferre
32.	l. 18.	propriores	propiores
33.	l. ult.	differviffe	differuiffe
71.	l. 4.	quoquot	quotquot
92.	l. 2.	Gladiatorium	Gladiatorum
ibid.	l. 18.	Virtute	Virtutes
100.	l. 4.	Sæculum	Sæculo
130.	l. 5.	e futuræ	futuræ
199.	l. 23.	talem	tale
213.	l. 2.	dem	idem
217.	l. 26.	argumena	argumenta
219.	l. 24.	negamns	negamus
231.	l. 12.	rurfus	rurfus

VIN-



VINDICIÆ MAUPERTUISIANÆ.

I.



ETERA inter, quibus jure & merito noſtra quam maxime gloriatur ætas, illud profecto eſt, innumeros inter egregios Scriptores, quibus floret, non paucos recenſeri Religionis Naturalis, & univerſim ſaltem Revelatæ Vindices, non apud Orthodoxos modo, verum etiam apud illos, qui in diverſa verſantur ab ejsdem ſententia. Quamvis enim nonnulli jure aliquo ſuſpicari videantur, Religionem, ut ajunt, univerſalem non alia de cauſſa adeo ab aliquibus prædicari, & vindicari, niſi ut illa agendi ratione per cuniculos veluti, particularium Sectarum, & Orthodoxæ etiam, doctrinam enervent; aſt ut id præſtantioribus quibusdam de Scriptoribus vix profecto fas eſt imagina-

ginari; illud eſt adhuc conſequens, quocumque id factum fuerit conſilio, Religionis tamen Naturalis & Revelatæ, univerſim ſaltem conſideratæ, veritatem, neceſſitatemque ita in præſens eſſe demonſtratam, ut nemo ſane poſſit de eiſdem dubitare.

II.

ACCEDIT jam vero, non Eccleſiaſtici modo Viros Ordinis, ſed etiam Reliquos, Opera hiſce de rebus edidiſſe præſtantiſſima, nec in Orthodoxis modo regionibus; ſed in iis æque, in quibus Hetherodoxi dominantur. Ut enim noſtros notiſſimos æque, & celeberrimos prætereamus, eminent inter ceteros certe Grotius, Allixius, Jacquelotus, Abadieus, alii; quos cum Naturalis, tum Chriſtianæ præſertim Religionis, univerſim acceptæ, dignitati, majeſtatique plurimum profuiſſe videt quiſque; Non enim fauſtum & decorum modo Religioni eſt, profanos homines, & nullum præſertim metuentes Ædilem, recte adeo Chriſtiana de Religione cogitare; verum & eidem benevertit maxime; illam ſiquidem præclariſſimorum ſegetem Scriptorum conſiderans impius, quanta miſer verſari ſe in ſolitudine intelligit! Res enim illa profecto certiſſima ſit oportet, de qua doctiſſimos inter homines,

mines,

mines, ceterum inter ſe aliis tot in rebus diſſidentes, perfectiſſime adhuc tamen convenit.

III.

QUOD ſi cauſſa inquiratur, cur omnium ad ſe oculos & amores traxerit, adeoque trahat etiam in præſens, Chriſtiana Philoſophia, ſe ſe illa oſtendet ſtatim infinitis eorum in Elucubrationibus, qui hoc argumenti genus illuſtrarunt. Nempe intelligentes Religionem præcipue Chriſtianam ſecum ferre, inter præcipua Doctrinæ ſuæ Capita, expectationem bonorum æternorum, & promiſſionem feliciſſimæ poſt mortem conditionis, ab illis conſequendæ, qui virtutem & honeſtatem fuerint ſequuti, Legibusque paruerint divinis; facile conſequuti ſunt, nil Religione hac, & Philoſophia morali Chriſtianorum, pretioſius fuiſſe divinitus mortalibus conceſſum; doctrinamque ejusmodi non admiratione ſolum & veneratione, ſed amore etiam maximo eſſe proſequendam; quum ejus proſequutione feliciſſimum non modo indepturi demum ſint mortales futura in vita ſtatum, ſed ſpe etiam, & feliciſſimi illius expectatione ſtatus, hac etiam in vita non minimam conſequuturi ſint felicitatem.

I.V.

Totus hac in meditatione nuper fuit clarissimus Orthodoxus Scriptor, celeberrimus Maupertuisius suo in Specimine Moralis Philosophiæ, quod Systema appellare posses Doctrinæ morum, & Religionis, relate ad humanæ felicitatem vitæ, quæ præcipuum est ipsius Operis Objectum. Ejusmodi siquidem in Specimine eo omnia direxit, ut a Philosophia morali Christianorum, cum infelicis vitæ retinendæ frenum, tum alicujus etiam acquirendæ hac in vita felicitatis modum, aut rationem saltem infelicitatis minuendæ repetendam esse demonstraret. Id autem qua nam metodo Vir doctissimus præstiterit, dicam paucis.

V.

De felicitate primum egit, deque infelicitate; inde vero ostendens a malorum summa summam bonorum humana in vita longe superari, transitum ad media facit in examen revocanda, quibus tolerabiliorem efficere humanæ conditionem vitæ possumus; quumque animadverterit, haud videri nostra esse in potestate, momenta vitæ felicia augere, Stoicorum insistendam duxit

xit

xit viam, qui hominis in potestate saltem esse arbitrabantur minuere momenra infelicia. Itaque inquirit, an eadem Stoicorum Philosophia medium etiam præbeat, quo momenta illa infelicia minuere possimus; quam suis tamen in principiis, & veluti visceribus, considerans, minus idoneam esse demum statuit ad finem illum obtinendum; ejus principia siquidem conferens cum principiis Philosophiæ moralis Christianorum, in qua patientiæ virtus, Deique amor docentur; spes invenitur præmiorum futuræ vitæ, quæ omittitur a Philosophia morali Stoicorum; inde infert, Philosophiam moralem Christianorum aptiorem esse Philosophia morali Stoicorum, minuendis momentis vitæ infelicibus, & animo in angustiis leniendo; illisque solum mediis, quibus immortalem homo adipisci felicitatem potest, hujus æque felicitatem vitæ posse ipsum consequi; aut ejus saltem minuere infelicitatem; nec Stoicorum Systema, & præcepta eam vim habere & virtutem, in humanæ felicitatis negotio, quam cordatus quisque asseret Systemati, Doctrinæque morali Christianorum.

VI.

ETSI vero nemo sibi facile persuadere potuisset, aliquem repertum iri, qui doctrinam allega-

legatam oppugnaturus foret; præstitit id tamen Vir præclarissimus, Franciscus Maria Zanottus, quibusdam in Animadversionibus in Librum Maupertuisii, Compendio Philosophiæ moralis Peripateticorum ab ipso edito adjectis. Vir hic siquidem sapientissimus, etsi Philosophiæ moralis Christianorum pretium officiosissimis extollat verbis, quum tamen Maupertuisiano in Opere non satis decori Philosophiæ moralis Stoicorum consultum esse arbitretur, heinc illam sibi contra Maupertuisium vindicandam sumpsit; ipsamque cum Philosophia morali Christianorum æque conferens, illam vel sine ista, felicitatem inducere, aut infelicitatem posse imminuere, contendit.

VII.

Ut faciliorem autem sibi struat id ad demonstrandum viam Cl. Zanottus, Capite Animadversionum suarum altero, negare primum pergit, bonorum hac in vita summam a summa malorum longe superari. Hanc enim opinionem importunis hominum querelis ait esse tribuendam, eorumque exaggerationibus, quare ejusmodi Queruli, probi videantur; quod vulgo frequensque jactitetur, probos hac in vita infelices esse, improbos, felices; aut quo aliorum in se commiserationem potius, quam in-
vidiam

vidiam excitent; Philosophis sua illa imaginaria perfectæ felicitatis descriptione auctoritatem querimoniæ conciliantibus, quibus Oratores eloquentia, Tragœdiisque Poetæ accedentes, humanæ vices vitæ miserabiliores, quam reipsa sint, exhibuere. Verum mirari subit, cur, in limine Vindiciarum Stoicorum, de eo dubitare pergat Vir Cl. quod apud ipsos certissimum erat, & omnino constitutum. Stoici siquidem de conditione hominum dicentes, adeo vehementer declamabant, ut si vel minimum audiantur, inordinata hujus vitæ fabula Deo nec auctore, nec spectatore digna judicetur. Quod mirum esse non debet in Philosophis non admittentibus Divinam Providentiam. Numquam crediderim vero, nimiam malorum hujus vitæ copiam a præstantissimo hoc Maupertuisii Adversario negatam, quod eadem latum aperuerit Gallo Auctori campum, unde necessitatem Religionis inferret, tantis angustiis leniendis. Potius dixerim, Cl. Zanottum revera arbitratum esse, bonorum summam, hac in vita, minime a malorum summa superari; iccirco, vel in Vindiciis Stoicorum, hanc Stoicæ Philosophiæ partem duxisse deserendam, quo veritati sanctissime litaret.

VIII.

VIII.

Hac eadem de caussa ipsum reor vindicandam duxisse Philosophiam Moralem Stoicorum, relate ad conservandam humanæ vitæ felicitatem, aut infelicitatem ejus minuendam. Quod quidem ut ostendat, primum statuit, humanam posse Rationem intelligere, futuram se morte obita superstitem: quare qui fortiter constanterque præsentis mala vitæ sustinuerit, præmium in altera possit, naturali lumine, & absque Religione aliqua, expectare. Ceterum expectationem futuræ felicis vitæ, hujus augendæ, aut conservandæ felicitati, vel infelicitati minuendæ, non esse adeo necessariam; quum ipsi Christianorum filii apertissime profiteantur, ita esse se affectos, ut absque expectatione illa, qua indigere nolunt ad virtutes acquirendas, & sectandas, recte tamen adhuc ordinateque operarentur: seque tunc solum ducere perfectos esse etiam Christianos, quum ita demum sunt affecti, ut recte & ordinate agant, absque spe præmiorum æternorum. Ab honestate igitur operis potius, quam ab expectatione illa, consolationem haustam etiam a Christianis; quare eorum Philosophia moralis non adeo adversetur Philosophiæ morali Stoicorum, qui in præceptis mo-

rum

rum constituendis non indiguere Dogmatibus Divinæ existentiæ, & Providentiæ, aut immortalitatis animorum; sed sempiternam solum, & immutabilem honestatem, se se cum auctoritate, & imperio eorum oculis objicientem sequuti sunt, imperantemque non premii spe, aut poenæ metu, sed suum ipsam ob pretium. Denique, ea ratione, qua Christiani nil aliud respicientes quam Deum, & divinum præmium, perfectam inducunt in animum tranquillitatem, vitæque infelicitatem minuunt; ita Stoicos posse & hujus felicitatem vitæ conservare, & ejus minuere infelicitatem, quum alia de re solliciti non sint, quam de sempiterna illa & immutabili honestate. Est hæc ipsa Zanotti præclarissimi doctrina, quæ si vera sit, errasse videtur Maupertuisius palmam tribuens Philosophiæ morali Christianorum in infelicitate vitæ minuenda.

IX.

QUIA tamen Maupertuisium non adeo errasse existimamus, ejus Opinionem vindicare nobis placet; utque id, de quo disputandum in præsens est, probe proponatur, aliqua censemus esse præmittenda. Maupertuisius de natura felicitatis differens, hanc in perceptione sitam esse statuerat, quam anima habere potius gaudet,

quam ea privatam esse; illa, inquam, in perceptione, quam semper retinere mallet, nec ad aliam transire, aut somno affici. Qua equidem in re videt quisque, ipsum de formali felicitate loquutum esse, quam, nova veluti dicendi ratione, in animi tranquillitate tamen collocari debere censet. Tunc enim certe homo perfecta gaudet animi tranquillitate, quum ejus animus ita affectus & constitutus est, ut statum mutare nollet, in eoque æternum, si fieri posset, perseverare. Ejusmodi autem contra definitionem ita argumentatur, Capite suarum Animadversionum primo, Cl. Zanottus: si in allegata, blanda, ut ita dixerim, perceptione statui debet hominis felicitas, igitur blanda illa perceptio, illeque jucunditatis sensus, erit ultimus finis hominis, ipsa erit hominis felicitas; adeoque ultimus finis hominis in ipso homine erit collocandus; quare sit consequens, illum modo ad jucunditatis sensum suas hominem debere dirigere actiones, nec aliquam Uxoris, filiorum, Patriæ, amicorumque oportere ipsum habere rationem, nisi aliquo simul afficiatur jucunditatis sensu; quæ profecto sententia, subdit Cl. Zanottus, honesto ab animo sit oportet, quam maxime aliena.

X.

X.

VERUM ita differens Vir præstantissimus, Maupertuisii mentem non adtigisse se ostendit, & veteri errore confundit heic felicitatem formalem & intrinsecam cum felicitate objectiva, sive cum caussis efficientibus intrinsecæ felicitatis. Formalis felicitas, quocumque utaris nomine eidem significandæ, non aliud esse potest, quam perfecta animi tranquillitas; sive non potest homo felix appellari, nisi ea animi quiete & tranquillitate gaudeat, quam, Cartesiana phrasi, dilectam, blandamque perceptionem placuit Maupertuisio appellare. Ejusmodi autem dilecta blandaque perceptio, quæ eadem est cum animi tranquillitate, cur oriri non possit a cura Uxoris, Patriæ, Amicorum, nullus video. Si enim vetera semel omittimus præjudicia, & aliquam habemus Recentiorum rationem, intelligimus statim, ejusmodi rem esse demum definitam; & maximum discrimen esse formalem inter, & objectivam felicitatem. Prior in animi tranquillitate profecto collocanda est, unaque sit oportet in omnibus hominibus; quum felicitas objectiva ex opposito varia & diversa sit oportet pro hominum desideriorumque diversitate, & conditione; alii enim desiderio honorum aguntur,

divitiarum alii, alii voluptatum, alii sexcentorum se se mille modis exhibentium, componentiumque, & invicem impedientium aliquando, diversorum adhuc, objectorum; idem imo homo, numquam secum habitans, infinitaque agitans, vel brevissimo vitæ spatio, desideria, unum modo, modo aliud felicitatis suæ respicit objectum; quum omnes tamen felices esse revera non possint, nisi intrinseca tranquillitate animi fruantur, suaque sint sorte contenti; quam conditionem, felicitatem formalem appellamus. Veteribus sane de Philosophis questi sunt Recentiores aliqui, ceu felicitatem formalem ab objectiva minime illi distinxissent; quod de omnibus falsum tamen arbitror, sive potius, perperam fuisse Veteres recentioribus ab Interpretibus illustratos. Si enim semel ponimus, Epicureos formali de felicitate fuisse loquutos, eorumque verba malam in partem minime accipimus, [quod non præstandum certe, uti in elegantissimo suo *Aristippo* docuit amicissimus mei, meoque dignissimus amore, Comes Zacharias Serimanus] felicitatis formalis naturam optime illi explicasse dicendi sunt; perfecta enim animi tranquillitas esse sine aliqua ipsius animi voluptate non potest; ipsaque intrinseca sit oportet; quomodo enim quod exstrinsecum foret, hominem efficeret intrinsece felicem? Ex opposito, si Peripateti-

teti-

tetici de felicitate objectiva loquuti sunt, egregie illam in bonorum omnium complexione, quæ humanæ naturæ, animo scilicet & corpori conveniunt, sitam esse docuerunt; summoque jure extrinsecam homini esse oportere. Recte adhuc tamen intelligendi. Siquidem illam bonorum omnium complexionem una & simul quis hocce in statu homini convenire posse sibi persuadeat? Nempe tot una bonis onustus opprimeretur homo, non efficeretur felix. Neque dum totus est in bonis humanum ad corpus pertinentibus, bona animi fovere, aut quærere adhuc potest; abest adeo ut illis tunc perfectissime fruatur. Itaque pro vario ejus statu, varioque desiderio, hac saltem in vita, unum modo bonum cupit, mox vero aliud, sicque pene in infinitum; quare quum prope infinitis agatur successive cupiditatibus, infinita prope necesse foret ille ut acquirere posset successive bona; adeoque felicitati adipiscendæ necessaria profecto est bonorum omnium naturæ hominis convenientium complexio.

XI.

CARENT autem sæpenumero Mortales felicitate objectiva, adeoque etiam formali, quia quum non omnia, quæ sibi convenire autumant,

acqui-

acquirere ſemper poſſint bona , non omnia explere poſſunt humanæ naturæ deſideria . Nec ex eo tamen infeliciſſimi videntur appellandi. Nam & infinita ſunt, quæ in homine reperiuntur deſideria, blanda illa tamen, &, ut ita dixerim, tranquilla, quibus etiam non ſatiatis infeliciſſimus adhuc non exurgit ſtatus; poteſtque aliquis e ſtatu & conditione aliquo modo felici tranſitum optare feliciorem ad ſtatum, & conditionem, quin prior ille ſtatus debeat infelix appellari. Qua equidem de re melius cogitatum video a præſtantiſſimo Zanotto, quam a Maupertuiſio. Verum adhuc tamen negari nullo modo poteſt, homines nonnullos hac in Œconomia ſtatum aliquando experiri duriſſimum, & infeliciſſimum, ſive quod continuo perceptionibus opprimantur, quas habere nollent; ſive quod vix ullum umquam ſatiare poſſint humanæ vitæ deſiderium; ſive ob perpetuas afflictationes & teterrimas anguſtias, aut diuturnitatis, aut intenſionis ratione intolerabiles. Quo nam igitur medio poterit ſtatus ille nimium infelix mitigari? Non alio, regerit Maupertuiſius, quam Philoſophia Morali Chriſtianorum, quæ quum amandum proponat Deum, & ſperanda virtutis, & patientiæ, altera in vita, præmia, argumenta præbet, quibus vel infeliciſſimo quocumque in ſtatu conſolemur; nec enim audiendos eſſe eos ſubjicit,
qui

qui Stoicam confugiunt ad Philosophiam, quæ quum non aliud proponat infelicis virtutis præmium, quam ipsum virtutis exercitium, aut illius pulchritudinis contemplationem, nullum revera proponit ad consolationem inducendam idoneum satis medium. Itaque nisi homo in Christianorum principiis versetur, quare se consolari non possit expectatione felicioris status, & bonorum alterius vitæ, consequitur Maupertuisius, satius tunc esse ipsum, in angustiis versantem, generose se occidere, & illo se facinore ab infelicissimo statu demum liberare. Cur enim extrema heic in infelicitate perseveret, si nil ipsi sperandum sit; timendum nihil; si nulla autocheiriam vetante Religione teneatur? Verum si ex opposito vel hominum infelicissimus Religioni adstrictus sit sui occisionem prohibenti, pulcherrimum imo spondenti, & felicissimum alterius vitæ statum, tunc certe ab autocheiria ipsi abstinendum; imo spe & expectatione illa præsentem dolorem esse ab ipso leniendum, & infelicitatem vitæ minuendam, uti constitutum est in Philosophia morali Christianorum.

XII.

ZANOTTUS præstantissimus, etsi præsidium illud Religioni asseri non gravetur, imo & Mauper-

per-

pertuisii consilium laudet, habendam tamen intellectus adhuc humani rationem arbitratur, habendamque rationem adhuc Philosophiæ moralis Stoicorum. Itaque solo naturalis luminis beneficio sperari etiam posse docet felicem alterum vitæ futuræ statum; prostareque etiam in Philosophia morali Stoicorum medium, quo se homo in angustiis constitutus consoletur: denique ex Philosophia ejusmodi satis idonea erui posse felicitatis conservandæ, aut minuendæ infelicitatis argumenta. Contemplationem siquidem & prosequutionem sempiternæ & immutabilis Stoicorum honestatis, id agere potuisse, quod prosequutio & expectatio bonorum ait supernorum: nempe ut ii tranquillitatem assequerentur, *honestatem unam quærentes, nec aliud præterea curantes* (pag. 279.). Stoicos quidem se occidere aliquando solitos fuisse; sed id præstitisse tamen in tempore, & in loco, imo maxima id præstitisse animi tranquillitate. Non esse itaque consequitur Philosophiam moralem Stoicorum rejiciendam, quum in eundem ipsa scopum ac Philosophia moralis Christianorum collimare videatur.

XIII.

Etsi vero Doctrina ejusmodi summa tanti Viri auctoritate fulta esse videatur, quia tamen non

non ſat idoneis videtur nobis rationibus illuſtrata & argumentis confirmata; poſitiones imo Maupertuiſii Religioni magis, quam poſitiones ejus adverſarii favere videantur, heinc illas breviſſimo hoc Commentario, qua decet modeſtia, ab Animadverſionibus Cl. Zanotti ſumimus vindicandas. Tria igitur inquiremus. I. An homo vi tantum luminis naturalis, & abſque Religionis face, cognoſcere certo poſſit, futurum ſe morte obita felicem. II. An ſolo ſempiternæ, immutabilisque Stoicorum honeſtatis ductu poſſit homo recte ordinateque ſemper agere, ſuamque conſervare hac in vita felicitatem, aut minuere momenta vitæ infelicia. III. An expectatio bonorum æternorum maxime præſtet proſequutione ſempiternæ & immutabilis Stoicorum honeſtatis in infelicitate vitæ minuenda. Hæc autem dum inquirimus, una etiam evincere conamur, ſolius ope Religionis poſſe certo noſſe hominem, futurum ſe morte obita felicem, unius ope Religionis ita contineri poſſe ipſum in officio, ut ordinatus inde effluat Societatis, adeoque ſuæ hac in vita felicitatis ſtatus; ſola demum ſpe & expectatione bonorum futuræ vitæ, quæ ſpondet, & de quibus certiores nos efficit Religio, hominem in miſeriis & angoribus maximis aliquando conſtitutum lenire poſſe momenta vitæ ſuæ infelicia; quare conſequi quisque

C aper-

aperte possit, Philosophia morali Stoicorum valde præstare Philosophiam Moralem Christianam in infelicitate vitæ minuenda.

XIV.

PRIORE igitur a Capite auspicandum, proposita prius tamen præclarissimi Zanotti sententia & doctrina, ejus ex verbis summa sinceritate, licet stilo non admodum eleganti, a me ex italico latinum in sermonem versis, ne tantum Virum criminari voluisse videar. Ita ille igitur Capite suarum Animadversionum V. pag. 273. Maupertuisium notans miserrimo homini Religionem, ceu unicum præsidium ne se occidat, offerentem: *Multum quidem laudis reor Maupertuisio tribuendum, quod tantam Religioni concesserit auctoritatem, ut spe præmii, metuque suppliciorum, hominem ab autocheiria avertere possit; cui assentior libentissime. Probare non possum tamen, ipsum humanam Rationem eo adgisse, nil ut expectet post mortem; nec intelligo quo nam pacto id cum Religione conciliari valeat, quæ numquam Rationi fuit inimica. Ethnici profecto, Romani, Græci, Ægyptii, Arabes, Chaldæi, totque aliæ Nationes, omni lumine, præter Rationem, orbatæ, aliam tamen expectavere vitam. Quot Philosophi docuere animæ immortalitatem! Platonici,*

nici, tanta celebres gloria, ejus, ut ita dixerim, Sponsores se præstitere. Ignoro igitur, cur fidenter adeo, & sine monumentis, adseratur humana Ratio carens omni spe futuræ vitæ; quare qui fortiter constanterque præsentis vitæ mala sustinuerit, præmium in altera non possit expectare. Ad præmium ejusmodi impatienter sui occisione advolare velle fas homini non est; autocheiria quippe se tali indignum præmio præstaret. Ex opposito, si Maupertuisii consilium sequimur, quis hominum erit, qui, Religione non actus, seipsum occidere non pergat; quum bonorum hac in vita summa, a malorum summa, Judice Maupertuisio, longe superetur? Prudenter igitur omnes se miseri occiderint. Quod argumentationis genus horridum adeo est, & terribile, ut, eo semel admisso, jam nullus esset reliquus, qui illud posset denique admittere. Hucusque Zanottus, quem adeo rapuit contradicendi æstus, ut minime animadverterit, se plurimum extra Maupertuisii hypothesim differere. Quid enim illa sibi volunt: *ad præmium alterius vitæ, sui occisione, impatienter nimis advolare velle, id vero est illo indignum se præstare?* Num se occidendi facultatem Maupertuisius concedit iis, qui ad illud præmium anhelant? Minime sane gentium. Quid illa æque sibi volunt: *Argumentationis genus hoc, horridum adeo est & terribile, ut, eo*

ſemel admiſſo, jam nullus eſſet reliquus, qui illud poſſet denique admittere? Num præconcepit fortaſſe Maupertuiſius, omnes homines Religione carere, neminemque teneri ſpe præmii futuræ Vitæ, & metu ſuppliciorum? Hiſce profeсto ſolis, ceu anguſtiarum finem, autocheiriam ipſum permiſiſſe faſſus mox erat Adverſarius.

XV.

NON heic autem defendendum ſumimus Maupertuiſium relate ad infelicitatis gradum, aut ſtatum illum, in quo fas eſſe homini Religione non acto contendit ſe occidere. Quam enim erravit Vir ceterum doctiſſimus mathematicam veluti ſuggerens computationem ſummæ bonorum malorumque humanæ vitæ, ceu de futuris certi poſſemus eſſe, aut de præteritis ſolliciti! Inconſultæ autem methodi eſt, humanos actus geometrice velle ſupputare, neque votorum adhuc compos reperitur, qui geometrica cum moralibus nectere pertentavit; viſuſque hic præcipuus, in quo lapſus eſt Monteſquieus, error, qui nempe plura ſocialis vitæ officia pro vario diverſarum climate & regimine nationum ſupputare voluit; quare, uti pulcherrimarum promptuarium rerum, ita & errorum, dictus a nonnullis ille *Spiritus Legum* Liber. Abſolutam autem

tem

tem infelicitatem ponere in majori infelicium momentorum intensione & copia, relate ad momenta felicia, nil aliud profecto quam eorum Declamationes confirmare, qui mortem dicebant in beneficii loco tributam a Diis immortalibus, iis, quos maxime dilexerunt, atque miseriarum omnium, quas pertulimus, finem, vitationemque futurarum; veluti sapienter fecissent Thraces, qui nascentibus liberis lugere, morientibus lætari dicebantur. Ejusmodi, inquam, ad argumenta Declamationum pertinent, ad quæ, hacce in parte videtur accessisse Maupertuisius. Itaque gradus illos, in quibus infelicitatem ipse constituit extra quæstionem adversus Zanottum disputandam esse volumus. Ut revera tamen Mortalium quamplurimos esse infelicissimos oculis videmus ipsis, utque veterum recentiorumque temporum Historia infinitos nobis repræsentat Viros, qui summo ex Imperio, & jucundissimo ex statu, in magnas perpetuasque excidere calamitates, quibus impotenter acti seipsos revera occidere; ut acerbissimæ in humana vita aliquando reipsa sæviunt ægritudines & afflictiones, in morte præsertim eorum quos perdite amabamus; ut denique quotidianus aliquorum status est revera diuturno etiam tempore miserrimus; heinc inquirendum, an infelicitati illi minuendæ magis Christiana valeat Philoso-

losophia, quam Doctrina Stoicorum; anve hæc sufficiens ad finem illum æque obtinendum reapse videatur? Quoniam autem queritur de Maupertuisio Zanottus, nulla ipsum in medium protulisse argumenta, quibus ostenderet, evinceretque, rationem humanam sibi relictam, nulloque Religionis lumine illustratam, haud sat certo posse immortalitatem animæ, diversosque, pro diversa meritorum & flagitiorum conditione, futuræ vitæ status, expectare; id nos præstabimus in præsens, quo inferre quisque valeat, haud satis laudari Maupertuisium posse, qui quacumque usus demum sit id ad consequendum methodo, infelicium conditionem, hac in vita, solius Christianæ Religionis ope, temperari posse docuit.

XVI.

Ut presso vero pede Cl. Zanotti Animadversiones sequamur, ab eo loco auspicandum ducimus, in quo numquam concessurum se dixit, eo adigi humanam rationem, ut futuræ Vitæ statum suo lumine non cognoscat. *Ethnici profecto*, inquit, *Romani*, *Græci*, *Ægyptii*, *Arabes*, *Chaldæi*, *totque aliæ Nationes*, *omni supernaturali lumine orbatæ*, *solaque ratione humana præditæ*, *futuram tamen expectavere vitam*. Quo equi-

equidem in effato veritatum maximam vides cum maximo errore copulatam. Ethnici profecto omnes, Romani, Græci, Ægyptii, Arabes, Chaldei, & Nationes ceteræ prorsus omnes, futuram expectavere vitam; sed falsum omnino est, easdem illam lumine credidisse naturali, aut fuisse futurum ipsis Sæculum unius humanæ Rationis ope creditum. Quis enim, obsecro, hac in luce, hac ætate, tot post ingentissima præclarissimaque edita, infinita prope, hoc de argumento, deque Idololatris veteribus, Volumina, ignorare adhuc potest, nihil aliud fuisse Idololatriam, nisi quamdam hæresim, quæ a primaria Religione in pravam deflexerat; quare & veteres, quique inde sequuti eos sunt, Gentiles, nil aliud fuerint, quam Schismatici, aut Hæretici Religionis illius primæ veræ, quæ immortalitatem animæ tradiderat? Paucis delibavit hoc Cardinalis Poliniacus, Libro Anti-Lucretii IX. ubi ortu explicato Adamiticæ Religionis, qua primi mortalium tenebantur, ita elegantissime prosequitur.

Inde per humanas gliscente libidine mentes,
Vera Dei sensim species squalescere cœpit.
Nam Populi Dominum veriti, at quis funditus esset
Obliti, non jam æternum, non simplicem & unum,

Mul-

Multiplici fœde pictum coluere figura:
Membratim in varios ausi discerpere Divos,
Atque Deas; prout usus erat, suasitque cupido.
Venit adulatrix & fallax turba Clientum:
Huc accesserunt Sophiæ mysteria tectæ,
Et mirabilium inventrix facundia rerum,
Historiæ male tuta fides, & Carmina Vatum
Ingeniosa, vel affinis Pictura Poesi.
Qui quondam in rebus Numen videre creatis
Thure salutabant res ipsas: victima trunco
Plurima, vel monstro, lapidique, hominique cadebat.
Sic totum insulsis deceptum fraudibus Orbem
Stulta superstitio pro Relligione subivit.

Quod vero Divina de Natura, post sexcentos alios, ait hic Auctor, idem de ceteris aliis universalissimis altissimisque morum principiis statuendum est, uti iidem fuse docent; adeoque & de futura Vita, quam primum prioribus humani Generis Mortalibus a Deo traditam, Posteri etiam, ceu Religionis caput, credidere; licet ejus diversos status per Cocytos & Pyriphlegethonas fluvios, per Stygis undam, Tartarumque a terra distantem, quantum hæc ipsa distat e cælo, per Elysios campos, & Beatorum Insulas, prataque & myrtos, & auram tenuem, odoremque suavissimum denique significarent, & exprimerent.

XVII.

XVII.

HAC autem de re ut nulla reliqua esse possit dubitatio, duo nobis sunt ostendenda : alterum quidem, Rationem humanam Systema illud futuræ Vitæ suapte vi, tamquam certum firmumque Dogma, statuere nullo modo potuisse ; alterum vero, quum ab omnibus omnino Gentibus admissum fuerit, a Religione, licet interpolata, & falsa, derivasse. Et quod ad primum quidem adtinet, non negaverim, potuisse homines aliquo sibi pacto, & verisimili quadam ratione, persuadere, futuros se post fata etiam superstites; & adhuc post mortem duraturos; sive ex immortalitatis desiderio, sive ex idea Justitiæ Divinæ, hujus ludibria sæculi compensaturæ. Verum aliud est aliquid ratione naturali suaderi posse; aliud, posse sola ratione duce illud sibi certo adeo persuadere, & constitutum ponere, ut de illo nulla inde possis ratione dubitare. Nonne omnes omnino Homines, haud minus quam immortalitatem, hac in Vita felicitatem desiderant, cujus tamen vix tenue vestigium pene omnes adsequuntur? Certissima vero quidem est Justitiæ Numinis idea; sed quanam ratione se se exerat, nisi Religione docearis, incertum, & obscurum. Itaque quum ra-

tio nisi probabilia non adferat Vitæ immortali statuendæ argumenta, quis eam cum Religione conferet, quæ nos certissimos efficit de Sæculo futuro?

XVIII.

REVERA, si humana ratio suapte vi immortalitatem animæ cognoscere deberet, vel eam ex essentia & natura inferret animæ oporteret, vel ex ejus caussa effectiva, vel ejus ex effectibus; quorum neutrum tamen ad certam ducit immortalitatis persuasionem. Non equidem natura id demonstrabit ipsa humanæ animæ, quæ a præstantioribus hodiernis Philosophis vel in præsens ignoratur; ea quippe, quæ a veteribus, recentioribusque Philosophis in medium producta hucusque sunt, & in Libris nostris *de Traditione Principiorum Legis Naturalis* fuse enumerantur, speciosa quidem, & suadentia dici possunt, hypothetica illa tamen, neque omninò demonstrativa, argumenta; captumque Romanorum illorum, Arabum, & ceterarum Ethnicarum Nationum, quas Zanottus prædicat, nimium superantia. Itaque cur adtributum immortalitatis Animæ assereret præsertim Vulgus, essentia & Natura animæ (seposito Religionis lumine) prorsus ignorata? Vulgus, inquam, quod solam habere novit corporearum rerum cognitio-

tionem, & ideam. Sed nec ex caussa efficienti animæ arguere certo mens humana potest eam esse immortalem; sive quod quum liberrime, omnia quæ ad extra fecit, operatus sit Deus, hominem potuisset condere mortalem; sive quod quum sentiant omnes cœpisse se esse, inferre potius debuissent, uti cetera, quæ sicuti initium, ita & finem habent suum, se æque desituros, sepositaque Dei Revelatione, ejus de consilio non constet, nisi quadam verisimilitudine, quæ satis ad agendum movere non potest. Nutaret igitur mens, dubitaretque, an post fata futura foret superstes, semelatque nullo superiore lumine illustraretur.

XIX.

SED nec etiam ex effectibus erueretur sat certo & firmiter animæ immortalitas. Quæcumque enim ea de re circumferuntur argumenta, ad ejus immaterialitatem evincendam, non vero ad immortalitatem ejus demonstrandam, idonea videntur. Non defuere autem qui vel immaterialem essentiam suum habere finem posse existimarunt. Non defuere, qui vel atomis indivisibilibus, vel complexioni materiæ vim sentiendi, intelligendique asseruere. Omnia vero quæ Veritati vindicandæ in medium producuntur in præsens argumenta nec Arabes, Chal-

dæosque, & Ægyptios Cl. Zanotti, in examen revocasse novimus; eaque vulgarium hominum captum proculdubio excedunt; remanetque æternum indissolubilis nodus ex anima Brutorum derivatus, qui Philosophorum, eorumque, qui meditari valent, animum & mentem, nisi ad Religionem confugias, molestissimas rapere in ambages potest; quare Eminentissimus Poliniacus, Libro Anti-Lucretii VI.

Bellua tota perit, clamas; concedere malim:
Sed si Pythagoram sequerer, vel Gymnosophistas,
Atque ferarum animos aboleri morte negarem;
Et nova perpetuo nascentum in corpora ferri;
Aut asservari velim, dum prisca resumant;
Dic, oro; qui me falsi convincere posses?
Quo te argumento, Quinti, Natura juvaret?
Hæreres; ut in hoc puncto Lucretius hæsit.
Nam licet hæc mera sint deliria, non tamen ipsam
Offendunt naturam animi, penitusque repugnant;
Imo nec sola possunt ratione refelli.

Adeo verum est, essentiale discrimen inter naturam animæ humanæ, & essentiam animæ Brutorum; immortalitatem inter hominum, & mortalem Brutorum vitam, non a ratione naturali, sed sola esse a Religione repetendum.

XX.

XX.

QUUM autem dubitare nemo possit ; omnes omnino Gentes & Nationes futuræ Vitæ cognitionem habuisse , qua in re profecto cum Zanotto perfectissime convenio ; hoc ipsum imo fusissime me demonstravisse arbitror , cum in *Libris de Traditione Principiorum Legis Naturalis* , tum etiam in *Commentario de futuro Sæculo ab Hebræis ante Captivitatem cognito adversus Johannem Clericum* ; heinc reliquum est ut evincam modo , cognitionem illam , quam de Vitæ futuræ statu habuere Ethnici veteres , & Populi omnino omnes , a Religione eos primævaque hausisse Traditione . Neque heic tamen ea utar methodo , qua in Libris superioribus , præstantissimos scilicet Eruditorum consulens , illosque tot , qui nobili adeo in pulvere felicissime decertavere . Quam enim egregie Natura & origo Idololatriæ in præsens illustrata ! quam evidenter saniora Religionis & Philosophiæ moralis Ethnicorum capita , primæva a Traditione manasse demonstrata sunt ! Vel soli Bochartus , Loydius , Fourmontius , & Clericus , quot Ethnicas enodavere fabulas Phœnicum , Hebraicorumque nominum ambiguitate ortas ; quod & subolfecisse Veteres nonnullos ex Libris Palepha-

ti ad

ti ad Heraclitum *de rebus incredibilibus* eruitur; quamvis in eo hi erraſſe videantur, ut ad Græcorum ambiguitatem nominum omnia retulerint. Facile, inquam, eſſet, Eruditionis ope, Græcorumque præſertim, & illuſtratis hebraicis Bibliorum teſtimoniis, futuræ perſuaſionem Vitæ, vel apud Ethnicos, aſſerere Religioni; qua tamen, ut dicebam, methodo non utemur in præſentia, ſive quod contra Librum ſcribentes Italico ſermone editum, & ratiocinia modo præferentem, ſupervacaneam ducimus Eruditionem, & quiquid non ſapit ratiocinium; ſive quod, noſtrorum Typographorum vitio, nil aliud præſtare videntur qui Linguis utuntur Orientalibus, quam paginas fœdare.

XXI.

Ita igitur ratiocinari placeat. Si certum eſt, Populos omnino omnes certiſſima gaviſos fuiſſe futuræ Vitæ cognitione, neque hanc ſat certo, naturali lumine potuerunt adſequi; itaque conſequens eſſe debet, ipſos eam a Religione accepiſſe; præſertim quum inter Religionis capita perſuaſionem illam omnes numeraverint; ſuiſque ita fabulis protulerint, ut non a mente, & ratiocinio, ſed a Sacerdotibus, Majoribusque ſuis, eandem illos derivaſſe manifeſtent. Num

enim

enim ratione naturali excogitatæ creditæque sunt illæ alti Acherontis Imagines, viæque altæ, & arduæ,

Per speluncas saxis structas asperis pendentibus

Maximis; ubi rigida constat crassa caligo Inferûm?

Num humano ratiocinio campi Elysii, & Beatorum Insulæ inductæ? num corpora cremata quum scirent, tamen ea fieri apud Inferos humano ratiocinio sibi persuasere, quæ sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi? Num humano demum ratiocinio crediti Cerberus & Cocyti fremitus, & inexorabiles Judices Minos, atque Rhadamantus? Num humano asserendæ ratiocinio ideæ & notiones illæ diversorum futuræ vitæ statuum, quas antiqui Septentrionales Populi habuere, quasque adhuc tot Orientales, Occidentalesque Indos, Afros, Malabaricos habere Populos novimus in præsens, uti ex tot Itineratorum Libris patet, & ex Eruditorum Actis, ætate nostra hisce rebus refertissimis? Fabulæ sunt illæ quidem, & olim etiam apud veteres Gentiles erant; sed nisi ejusmodi, aut similibus circumvestita fabulis, futura Vita credita a Populo minime fuisset; præsertim quum Deorum nomine ita futuræ status diversi vitæ traditi Populo fuissent. Qui enim Leges Genti-

bus

bus tulere, ut eas Diis, ad conciliandam auctoritatem, referebant; ita Legis etiam lictores, ſpem præmiorum ſcilicet futuræ Vitæ; metumque ſupliciorum, Deorum auctoritate & nomine ſparſere in Vulgus; quod non alia, quam Religionis vi, in illarum induci potuiſſet certam firmamque rerum perſuaſionem.

XXII.

Evolvat revera præclariſſimus Zanottus veteres omnes recentioresque Hiſtorias, evolvat omnium Volumina Itineratorum, ſerioque perpendat quid illi futura referant de Vita tot apud Gentes olim recensque detectas. Sane aut Nationes inveniet, lumine quidem naturali præditas, aliquibus ſi tamen credimus Itineratoribus, nil adhuc de Sæculo futuro cogitantes; certiſſimum, ni fallimur, indicium, perſuaſionem illam a Natura non manare; aut, ſi Orientalibus de Populis ſermo ſit, qui propriores veræ origini illius Dogmatis fuere, & Patriarcharum doctrinam, additionibus licet interſperſam, adſervavere; eosdem reperiet ita futuræ ſtatum Vitæ prædicantes, ut a Revelatione, & Traditione, aut ab ea, quæ veræ vices geſſit, interpolata Religione, ſe ipſe hauſtum manifeſtet. Ut enim rerum exordia ad Deum opificem eſſe refe-

referenda; omnemque antiquitatem, & monumenta rerum omnia, uti omnes omnino veteres Colonias, ducere originem ab Oriente; utque doctrina de Chao rerum principio, de tenebris luce prioribus; de Dei ſpiritu Orbi infuſo, molemque agitante; de mundo ex ovo veluti excluſo, de homine ex luto formato, & ad Dei effigiem exſtructo, de aſſignato ipſi divinitus in animantia reliqua dominio; de primæva hominum innocentia, morumque ſimplicitate, de ſubſequuta depravatione, ex qua poſtmodum omne mali genus, ipſaque mors terris incubuit; de Diluvio Univerſali, & affectato in Cœlum itinere; ut, inquam, hæc omnia, quæ arcano tradidit Volumine Moſes, univerſali pene omnium Gentium Traditione ita conſervata ſunt, ut vel ex ipſis fabularum nugis veritas eorum confirmetur; ita doctrina de Dei exiſtentia & Providentia; deque præmiis & pœnis futuræ Vitæ, ita apud omnes Populos adſervata eſt, ut quamvis adulterata & fabulis permixta, ſuam tamen exhibeat originem, & Religionis Caput habitum oſtendat, non conſequutionem ratiocinii.

XXIII.

RECTE igitur in Diſputatione adverſus Clericum ita in rem noſtram videmur diſſerviſſe.

Quum falſum ſit doctrinam futuræ vitæ, futurique Dogma Sæculi, Philoſophiæ eſſe aſſerendum; demonſtratumque ſit, Græcos, Ægyptiosque Philoſophiæ Parentes, ea quæ ab aliis acceperunt, illuſtraſſe tantum, & tradidiſſe; neque veriſimile ſit, Nationes hoſtiles, invicem inviſas, longe diſſitas, nulloque fœdere & commercio ſociatas, ea, quæ domi non erant nata, ab aliis aure patula, & communi adeo conſenſione accepiſſe; quum immortalitatem animi naturalis Ratio demonſtrare non poſſe videatur; quæ videlicet olim, perpetuo, hodieque de natura ejus diſputare pergit; conſequens jure & merito eſſe debet, a vetuſtiori Traditione Dogma futuri Sæculi, uti cetera prima altiſſimaque Naturalis juris & morum principia, hauſta & derivata denique fuiſſe; omnesque Gentes, quas ſpeciales & proprias credebant Traditiones, ac ſuorum Scita Patrum, in monumentis quæ perierunt, oppido ſequutas; tamen etſi id illæ ignoraſſent, nil aliud faſſas fuiſſe tamen, niſi quod a prima, antiquiſſima, primiſque tradita Patribus, erat doctrina revelatum. Ut enim Judæi non a Barbaris, aut a Græcis, ſed a ſuis accepere Patribus futuri Dogma Sæculi; ita Græci, Romanique, & Gentes ceteræ, non ab Hebræis, ſed ab Avis, Atavisque ſuis, & hi a Gentis Conditoribus priora hæc & univerſalia deri-

derivarunt vitæ principia, & fundamenta. Error Eruditorum præteriti erat Sæculi, ut quacumque in Natione, ſtricturas viderentur ſe videre Moſaicæ doctrinæ; Syſtema Chriſtianorum probe Patrum imitatos ſe credentium, quod hi idoneum illud crederent adverſus Ethnicos, dum de majori diſſidentium Religionum antiquitate ageretur, argumentum. Sequuti inde ſunt præſtantiores cum Spencero, & Marshamo viri, qui Hebræos potius plurima ab Ægyptiis, ceterisque mutuatos Gentibus, contendere. Verum, uti ex malis moribus Leges bonæ proficiſci ſolent, ita ex cognitis erroribus veræ aliquando opiniones: majori iccirco ab Antiquitate auſpicandum ducunt univerſi, qui in præſens ſapiunt; a Præceptoribus ſcilicet Hebræorum æque, & vetuſtiſſimorum Gentilium, a Populorum Conditoribus, a Patriarchis, & a Mortalium parente primo, cujus doctrinam, quod ad ſubſtantiam ſaltem pertinet; ſuos inter plangores Ægyptii, ſuaſque inter choreas Græci, incondito ſtrepitu ſuo Barbari, bellis ſuis & artibus Romani, ſuis fabulis recens detecti, & qui neque cum Hebræis, neque cum Græcis commercia habuere Africani, & Occidentales Indi; ſuis denique veluti erroribus Poetæ, Oratores, & Philoſophi, ad ſeriora uſque tempora adſervarunt. Prudentiores igitur erant olim vulgares homines, quam Philo-

 ſophi,

ſophi, qui abſtractis ſuis, contemplativis & chimæricis de natura animæ ideis, diverſos everterunt Sæculi futuri ſtatus; illi enim ex oppoſito Traditionem tantum, & patriam Hiſtoriam ſequuti, eo tutiorem veritatis inveniendæ inceſſerunt viam, quo magis quam arbitraria ratiocinia, rerum Hiſtoria ad experimenta rerum accedit.

XXIV.

Ex hucusque autem diſputatis intelligit, ni fallor, quisque, erraſſe Cl. Zanottum, non neceſſariam qui duxit Religionem Vitæ futuræ credendæ, quod hanc Arabes, Ægyptii, Græci, Romanique, & Gentes cæteræ, admiſerint. Non neceſſaria quidem Chriſtiana tunc erat, aut Judaica Religio; ſed neceſſaria id ad obtinendum fuit Religio tamen aliqua; Religio, quæ, quod ſuam ſpectat ad originem, vera erat; licet inde interpolata, & corrupta; neque ex conſenſione illa, ejusmodi relate ad Dogma, jure de vi humanæ rationis, deque ſufficientia, ut ita loquar, naturalis luminis, argumentatus eſt. Revera num in vulgo & rudioribus potuiſſet id præſtare humana Ratio, quod certe non valuit in doctioribus? Præconcipit jam quisque, de Philoſophis nos verba facere, tranſitumque ad majus Zanotti Clariſſimi erratum, ita, ut jam

vidimus, prosequuti: *Quot Philosophi docuere Animæ immortalitatem? Platonici, tanta celebres gloria, ejus, ut ita dixerim, Sponsores se præstitere. Ignoro igitur, cur fidenter adeo, & sine monumentis adseratur humana ratio carens spe futuræ Vitæ.* Quæ etiamsi vera forent, caussam ejus tamen adhuc minime meliorem redderent. Nam, non quamcumque ipse Philosophiam aptam ducit felicitati augendæ, aut infelicitati, hac in vita, minuendæ; sed tantum Stoicam. Itaque Stoicos dixisse debuisset præstitisse se immortalitatis animæ Sponsores. Verum de Stoicis tacuit, quod eos futura de Vita securos esse intelligeret; sique Stoici præmia & pœnas futuræ Vitæ spopondissent, non igitur solius Virtutis & honestatis amore operandum docuissent. Sed hisce de rebus suo loco. Nunc de Philosophorum placitis relate ad vitam futuram inquiramus.

XXV.

VIDEO enim heic cogitatum a Zanotto Cl. de veteribus Philosophis, secus atque a Sapientissimis aliis ætatis nostræ Viris. Ne autem tessellatum opus faciamus testimoniis Variorum, & linguarum diversarum; neve Lectorem fatigemus, & ut brevitati consulamus, unum, aut alterum in medium producemus e præstantioribus

ribus Scriptoribus, qui Myſteria ejusmodi perfećte calluerunt. Doćtiſſimus Janus Vincentius Gravina, in Oratione de Sapientia Univerſa, ita Veterum mentem de Divina Natura, Naturaque animæ humanæ explicavit: *Putabant Ægyptii, unam rerum omnium, eamque immenſam atque infinitam eſſe Naturam, ſpecies & formas univerſas e ſuamet infinitate, ingenito & perenni motu, aſſiduaque ſui circumvolutione proferentem; atque in mentis identidem, & corporis univerſitatem perpetua ſingulorum animorum, & corporum produćtione ſe ſe explicantem; tantum ſui reddentem, quantum cujuſque rei creatæ facultas ex ea immenſitate decerperet; qualitatesque illas emittentem, quas exprimere poſſet noſtrorum perceptio ſenſuum, qui ſuo cujusque modo, atque ambitu rem immenſam atque infinitam terminant, eamque certis figuris atque ſpatiis magno humanæ mentis errore circumſcribunt. Quam doćtrinam refert Homericus Ægyptiorum Proteus, qui varias ineundo formas e poteſtate ſenſuum elabitur, propterea quod numquam ſenſibus, aut per ea, quæ ſenſibus objiciuntur, hanc Naturam aſſequimur, niſi, e* [illegible] *multiformo apparet ac v*[illegible] *mentis poteſtate r*[illegible] *deta. alii veter*[illegible] *diverſis d*[illegible]

explicite, qui Ægyptios propius attigerunt; ut in cujusque Sectæ Principibus, quamvis ætate regionibusque disjunctis, ejusdem tamen Sapientiæ origo, atque successio agnoscatur. Ad hanc etiam sententiam referuntur multa, quæ supersunt, Veterum traditione, de Orphei Theologia, eodemque spectavit Linus cum dixit, omnia progigni ex uno, & in unum resolvi. *Eodem flectit Anaxagoræ Omœomeria. Eodem respicit illud Anaximandri, omnibus qualitatibus expers infinitum. Illuc recidunt ex effatis multa Pythagoræ, ab ipso quidem arcanis notis obsignata; reclusa vero paullatim a Discipulis, præsertim a Pythagoræorum studiosissimo Platone, qui appellari non dedignabatur Præco Pythagoricæ atque Eleaticæ doctrinæ: quæ omnia ponebat esse unum, idemque, infinitum, immobile, immutabile, sibi simile, ac seipso plenum, perinde ac Pythagoras, cui* monas, *sive unum, fuit rerum omnium principium. Hinc mundi anima, sive infinita cogitatio, infinitæ materiæ cognata, & animorum atque corporum, post unius rei dissolutionem, in aliam speciem immigratio: quæ omnia Pythagoras ex Ægypto, post assidua Sacerdotum colloquia, secum adduxit in magnam Græciam: ad cujus doctrinæ fontem, Græcia cun-[illegible]a & Italia diu convenit. Ad eandem etiam do-[illegible]inam tendebant Stoici, qui mundum ipsum esse [illegible]r. Quid, prima illa denique Aristo-*

telis

telis materia a Platone arrepta, jam Arabum & nostratium Scholarum culpa, ludibrio recentium Philosophorum objecta, quo pertinet, nisi ad hunc Ægyptiorum Proteum, quem jure quis universæ Philosophiæ parentem appellaverit? Sane si Aristotelem pudendis Arabum involucris exuerimus, Pythagoricam in Peripateticorum Schola doctrinam introspiciemus, & Aristotelicam primæ materiæ definitionem Timeo Locrensi, cujus adhuc de Anima Mundi Liber extat, adjudicabimus. Neque Aristoteles ab ullo se in contemtum adductum queretur, nisi a factione sua, quæ absurdis interpretationibus, ei Arabum deliria non veretur adscribere. Sinenses vero affines Indorum, Ægyptiam doctrinam colentium, Dogma hoc, jamdiu apud alios Populos intermortuum, numquam dimiserunt; ejusque sive Auctorem, sive Instauratorem Confucium, divinis honoribus & religioso cultu ad nostram ætatem continuato, in cœlum extulerunt; & adhuc morem Ægyptiorum retinentes, naturales res atque causas in Numina commutant; quæ Philosophi verbo tantum & imagine; plebs autem credula, & fraudis ignara, sensu etiam & animo veneratur. Ille hucusque; a quo specimen habes Metaphysicæ veterum Philosophorum, qui centrum veri Systematis, productionem scilicet e nihilo, a Religione revelatam, aut omittentes, aut non omnino tolerantes, ex ente illo

primo,

primo, ingenito, infinito, tamquam ex materia, & fundo, & vena, res creatas eruerunt; Divinitatem ipsam speciebus distractam singulis in rerum universitatem transfundentes; quare humanæ etiam animæ ex Infinito intelligente ortæ, in illud resolverentur, & cum eo rursus confunderentur; eaque immortalitas erat, quam humanis animis Philosophi concedebant.

XXVI.

Et ea sane opinionum portenta, ubi de Traditione egi Principiorum Legis Naturalis, me satis aperuisse memini, hisce prӕterpropter verbis. Certum videtur esse, omnes quotquot fuere Philosophos veteres, duas modo in classes posse distingui, Atomistarum alteram, veterum alteram Academicorum. Ad priorem illam Pythagoræ Sectatores spectasse ostendimus, & Epicureos; Stoicos autem, Platonicos, & Peripateticos, ad veterem spectasse Academiam. Jam vero neutra ex illorum classibus Philosophorum ejusmodi est, ut futuræ doctrinam vitæ, qualem in systemate Religionis credimus, exhibuerit. Atomistarum enim aliqui Deum esse intellexerunt Mundum, ipsumque haud extra materiam esse; sed omnia essentialiter esse Deum. Mundum quippe immensum adfirmavere, totum

in toto, imo vero ipsum totum; finitum, & infinito similem; rerum omnium certum, & similem incerto; cuncta in se extra, intraque complexum, eundemque rerum Naturæ opus, & ipsam rerum naturam; omnia tandem Deum esse, & Deum omnia; ipsumque ideo dici finem omnium, quod omnia reversura sint in ipsum, ut in eo immutabiliter conquiescant, unumque individuum cum eo, & incommutabile permaneant, in illo tandem reddi, resolutaque referri omnia, quorum morti non esse locum, sed viva volare syderis in numerum, atque alto succedere cœlo.

Jupiter Omnipotens, Regum Rex ipse, Deusque
Progenitor, Genitrixque Deûm, Deus unus & omnis.

Jupiter est quodcumque vides, quodcumque movetur.

Heinc quæ producta conspicimus, Naturæ modo effectus esse, Naturæ, inquam, non artificiose ambulantis, sed omnia cientis & agitantis, motibus & mutationibus suis, convenientia quadam, consensuque partium, & quasi cognatione atque conspiratione continuam, quæ, quo suapte sponte major, eo minus separato spiritu, atque ratione fieri existimanda sit.

XXVII.

Malo illi occurrere visi sunt veteres Academici, subdole tamen, & insidiosam veluti per speciem. Nam etsi Caussam prædicarent omnium principem, primumque motus principium, summam veluti Intelligentiam, & divinum quodammodo sensum; quare & diligentissimis quoque fucum aliquando fecisse visi sunt; iis scilicet, qui veterum Academicorum plurimos Deum, qualis a nobis creditur rerum naturalium Conditor, cognovisse scripsere; vera eorum tamen sententia, non erant illa omnia, nisi humanæ mentis beneficio, a materiæ virtute discreta; eorumque de rerum natura testimonia cum iis demum conveniebant, quæ de universo rebus omnibus circumfuso, extensoque principio, sive de Mundi anima Stoici loquentes frequentissime proferebant. Quare, etiamsi Deorum, ut ajebant, immortalium laudibus, Divinæque encomiis Providentiæ, veterum resonarent Academicorum effata, Deum tamen, materiæ veluti animam excogitabant; atque virtutem; seu verius, materiam esse intelligenti virtute donatam, habereque in se, ultimum, altissimum, atque undique circumfusum, omnia cingentem atque complexum ardorem, ad quem, veluti divinum revera

ad adtributum, preces hominum conciperentur, & vota, ut ex Ennii illo:

Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Dum igitur Deum unum fatebantur ejusmodi Philosophi, ignem illum intelligebant, naturamque illam ætheream, quæ penetraret, animaretque entia universa, quæque diversas juxta res, quas per vim efformabat suam, variis nominibus insigniretur. Quare dum veteres Academici, ceteros adversus Philosophos, animorum humanorum essentiam neque e communis materiæ partibus, neque ex earum dispositione & nexu, contendebant esse constitutam, immaterialem æternamque illam quidem esse prædicabant, ea ratione tamen, ut cum universalissimo intelligente principio permisceri ipsam confundique docerent; eoque pacto immortalem esse, & suo uniri principio existimarent, quod unicus intelligentibus foret omnibus igneus ille vigor immanens, & cælestis origo: quo eruta e fonte Platonis illa de immaterialitate & æternitate erat animi demonstratio, in Phædro. Origo autem tam immanium errorum erat, quod veteres illi omnes Philosophi moralem rationem, caussasque finales, ab efformatione rerum physicarum ablegassent; quum enim Principii cognitionem ex parte, ita ut loquar, moralitatis vestigare

debuis-

debuissent ; ut scilicet ex ordinis rerum necessitate, principium ordinis liberum inferrent; caussarum enim nulla cognitu pervia magis est, quam finalis ; ipsi ex opposito physicam totius entis essentiam metaphysicis principiis inquirere perrexerunt ; seque cum infinitate confundentes, non minus a physica rerum essentia, quam ab earum principio longe abierunt. Qui nuper prudentius philosophati sunt, uti Newtonus, ubi de Optice agit, atque de Principiis ; Voltæriusque in Newtoniana Metaphysice, in primi Principii inquisitione, a finalibus caussis non esse recedendum docuere, quarum in scopulum Atheorum vires se posse solum frangere videntur. Eas vero quum Veteres prætermiserint, in infinitatis monstrum cecidere, naturæ scilicet, & materiæ accomodatum ; quare qui philosophico quodam, uti olim inquiebam, oculo rimari fontes non valet, ast limpidiores saltem rivulos utinam consectaretur, eximiosque Recentiores, qui hoc in pulvere sudarunt, vel unum in Philosophiæ Historia Bruckerium. Nosceret profecto ille apertissime, quantum dissiti ab opinione fuere nostra, & totius Generis humani, veteres Philosophi, ubi de natura animæ, ejusque post mortem conditione pertractarunt. Vidit hoc etiam, qui Tullium egregie adeo interpretatus est Cl. Olivetus, in Præfatione ad Librum Tu-

b 1 scu-

ſophi, qui abſtractis ſuis, contemplativis & chimæricis de natura animæ ideis, diverſos everterunt Sæculi futuri ſtatus; illi enim ex oppoſito Traditionem tantum, & patriam Hiſtoriam ſequuti, eo tutiorem veritatis inveniendæ inceſſerunt viam, quo magis quam arbitraria ratiocinia, rerum Hiſtoria ad experimenta rerum accedit.

XXIV.

Ex hucusque autem diſputatis intelligit, ni fallor, quisque, erraſſe Cl. Zanottum, non neceſſariam qui duxit Religionem Vitæ futuræ credendæ, quod hanc Arabes, Ægyptii, Græci, Romanique, & Gentes cæteræ, admiſerint. Non neceſſaria quidem Chriſtiana tunc erat, aut Judaica Religio; ſed neceſſaria id ad obtinendum fuit Religio tamen aliqua; Religio, quæ, quod ſuam ſpectat ad originem, vera erat; licet inde interpolata, & corrupta; neque ex conſenſione illa, ejusmodi relate ad Dogma, jure de vi humanæ rationis, deque ſufficientia, ut ita loquar, naturalis luminis, argumentatus eſt. Revera num in vulgo & rudioribus potuiſſet id præſtare humana Ratio, quod certe non valuit in doctioribus? Præconcipit jam quisque, de Philoſophis nos verba facere, tranſitumque ad majus Zanotti Clariſſimi erratum, ita, ut jam

vidi-

vidimus, prosequuti: *Quot Philosophi docuere Animæ immortalitatem? Platonici, tanta celebres gloria, ejus, ut ita dixerim, Sponsores se præstitere. Ignoro igitur, cur fidenter adeo, & sine monumentis adseratur humana ratio carens spe futuræ Vitæ*. Quæ etiamsi vera forent, caussam ejus tamen adhuc minime meliorem redderent. Nam, non quamcumque ipse Philosophiam aptam ducit felicitati augendæ, aut infelicitati, hac in vita, minuendæ; sed tantum Stoicam. Itaque Stoicos dixisse debuisset præstitisse se immortalitatis animæ Sponsores. Verum de Stoicis tacuit, quod eos futura de Vita securos esse intelligeret; sique Stoici præmia & pœnas futuræ Vitæ spopondissent, non igitur solius Virtutis & honestatis amore operandum docuissent. Sed hisce de rebus suo loco. Nunc de Philosophorum placitis relate ad vitam futuram inquiramus.

XXV.

VIDEO enim heic cogitatum a Zanotto Cl. de veteribus Philosophis, secus atque a Sapientissimis aliis ætatis nostræ Viris. Ne autem tessellatum opus faciamus testimoniis Variorum, & linguarum diversarum; neve Lectorem fatigemus, & ut brevitati consulamus, unum, aut alterum in medium producemus e præstantio-

ribus

ribus Scriptoribus, qui Mysteria ejusmodi perfecte calluerunt. Doctissimus Janus Vincentius Gravina, in Oratione de Sapientia Universa, ita Veterum mentem de Divina Natura, Naturaque animæ humanæ explicavit: *Putabant Ægyptii, unam rerum omnium, eamque immensum atque infinitam esse Naturam, species & formas universas e suamet infinitate, ingenito & perenni motu, assiduaque sui circumvolutione proferentem; atque in mentis identidem, & corporis universitatem perpetua singulorum animorum, & corporum productione se se explicantem, tantum sui reddentem, quantum cujusque rei creatæ facultas ex ea immensitate decerperet; qualitatesque illas emittentem, quas exprimere posset nostrorum perceptio sensuum, qui suo cujusque modo, atque ambitu rem immensam atque infinitam terminant, eamque certis figuris atque spatiis magno humanæ mentis errore circumscribunt. Quam doctrinam refert Homericus Ægyptiorum Proteus, qui varias ineundo formas e potestate sensuum elabitur, propterea quod numquam sensibus, aut per ea, quæ sensibus objiciuntur, hanc Naturam assequimur, nisi, exutis imaginibus, quod multiforme apparet ac varium, ad unum & simplex, mentis potestate revocamus. Eandem sententiam Poetæ alii veteres, Græcique Philosophi fere omnes, diversis dicendi generibus reddiderunt; iique magis*

expli-

explicite, qui Ægyptios propius attigerunt; ut in cujusque Sectæ Principibus, quamvis ætate regionibusque disjunctis, ejusdem tamen Sapientiæ origo, atque successio agnoscatur. Ad hanc etiam sententiam referuntur multa, quæ supersunt, Veterum traditione, de Orphei Theologia, eodemque spectavit Linus cum dixit, omnia progigni ex uno, & in unum resolvi. *Eodem flectit Anaxagoræ Omœomeria. Eodem respicit illud Anaximandri, omnibus qualitatibus expers infinitum. Illuc recidunt ex effatis multa Pythagoræ, ab ipso quidem arcanis notis obsignata; reclusa vero paullatim a Discipulis, præsertim a Pythagoræorum studiosissimo Platone, qui appellari non dedignabatur Præco Pythagoricæ atque Eleaticæ doctrinæ: quæ omnia ponebat esse unum, idemque, infinitum, immobile, immutabile, sibi simile, ac seipso plenum, perinde ac Pythagoras, cui* monas, *sive unum, fuit rerum omnium principium. Hinc mundi anima, sive infinita cogitatio, infinitæ materiæ cognata, & animorum atque corporum, post unius rei dissolutionem, in aliam speciem immigratio: quæ omnia Pythagoras ex Ægypto, post assidua Sacerdotum colloquia, secum adduxit in magnam Græciam: ad cujus doctrinæ fontem, Græcia cuncta & Italia diu convenit. Ad eandem etiam doctrinam tendebant Stoici, qui mundum ipsum esse Deum rebantur. Quid, prima illa denique Aristotelis*

telis materia a Platone arrepta, jam Arabum & nostratium Scholarum culpa, ludibrio recentium Philosophorum objecta, quo pertinet, nisi ad hunc Ægyptiorum Proteum, quem jure quis universæ Philosophiæ parentem appellaverit? Sane si Aristotelem pudendis Arabum involucris exuerimus, Pythagoricam in Peripateticorum Schola doctrinam introspiciemus, & Aristotelicam primæ materiæ definitionem Timeo Locrensi, cujus adhuc de Anima Mundi Liber extat, adjudicabimus. Neque Aristoteles ab ullo se in contemtum adductum queretur, nisi a factione sua, quæ absurdis interpretationibus, ei Arabum deliria non veretur adscribere. Sinenses vero affines Indorum, Ægyptiam doctrinam colentium, Dogma hoc, jamdiu apud alios Populos intermortuum, numquam dimiserunt; ejusque sive Auctorem, sive Instauratorem Confucium, divinis honoribus & religioso cultu ad nostram ætatem continuato, in cœlum extulerunt; & adhuc morem Ægyptiorum retinentes, naturales res atque causas in Numina commutant; quæ Philosophi verbo tantum & imagine; plebs autem credula, & fraudis ignara, sensu etiam & animo veneratur. Ille hucusque; a quo specimen habes Metaphysicæ veterum Philosophorum, qui centrum veri Systematis, productionem scilicet e nihilo, a Religione revelatam, aut omittentes, aut non omnino tolerantes, ex ente illo

primo,

primo, ingenito, infinito, tamquam ex materia, & fundo, & vena, res creatas eruerunt; Divinitatem ipſam ſpeciebus diſtractam ſingulis in rerum univerſitatem transfundentes; quare humanæ etiam animæ ex Infinito intelligente ortæ, in illud reſolverentur, & cum eo rurſus confunderentur; eaque immortalitas erat, quam humanis animis Philoſophi concedebant.

XXVI.

Et ea ſane opinionum portenta, ubi de Traditione egi Principiorum Legis Naturalis, me ſatis aperuiſſe memini, hiſce præterpropter verbis. Certum videtur eſſe, omnes quotquot fuere Philoſophos veteres, duas modo in claſſes poſſe diſtingui, Atomiſtarum alteram, veterum alteram Academicorum. Ad priorem illam Pythagoræ Sectatores ſpectaſſe oſtendimus, & Epicureos; Stoicos autem, Platonicos, & Peripateticos, ad veterem ſpectaſſe Academiam. Jam vero neutra ex illorum claſſibus Philoſophorum ejusmodi eſt, ut futuræ doctrinam vitæ, qualem in ſyſtemate Religionis credimus, exhibuerit. Atomiſtarum enim aliqui Deum eſſe intellexerunt Mundum, ipſumque haud extra materiam eſſe; ſed omnia eſſentialiter eſſe Deum. Mundum quippe immenſum adfirmavere, totum

in toto, imo vero ipsum totum; finitum, & infinito similem; rerum omnium certum, & similem incerto; cuncta in se extra, intraque complexum, eundemque rerum Naturæ opus, & ipsam rerum naturam; omnia tandem Deum esse, & Deum omnia; ipsumque ideo dici finem omnium, quod omnia reversura sint in ipsum, ut in eo immutabiliter conquiescant, unumque individuum cum eo, & incommutabile permaneant, in illo tandem reddi, resolutaque referri omnia, quorum morti non esse locum, sed viva volare syderis in numerum, atque alto succedere cœlo.

Jupiter Omnipotens, Regum Rex ipse, Deusque
Progenitor, Genitrixque Deûm, Deus unus & omnis.

Jupiter est quodcumque vides, quodcumque movetur.

Heinc quæ producta conspicimus, Naturæ modo effectus esse, Naturæ, inquam, non artificiose ambulantis, sed omnia cientis & agitantis, motibus & mutationibus suis, convenientia quadam, consensuque partium, & quasi cognatione atque conspiratione continuam, quæ, quo suapte sponte major, eo minus separato spiritu, atque ratione fieri existimanda sit.

XXVII.

MALO illi occurrere visi sunt veteres Academici, subdole tamen, & insidiosam veluti per speciem. Nam etsi Caussam prædicarent omnium principem, primumque motus principium, summam veluti Intelligentiam, & divinum quodammodo sensum; quare & diligentissimis quoque fucum aliquando fecisse visi sunt; iis scilicet, qui veterum Academicorum plurimos Deum, qualis a nobis creditur rerum naturalium Conditor, cognovisse scripsere; vera eorum tamen sententia, non erant illa omnia, nisi humanæ mentis beneficio, a materiæ virtute discreta; eorumque de rerum natura testimonia cum iis demum conveniebant, quæ de universo rebus omnibus circumfuso, exstensoque principio, sive de Mundi anima Stoici loquentes frequentissime proferebant. Quare, etiamsi Deorum, ut ajebant, immortalium laudibus, Divinæque encomiis Providentiæ, veterum resonarent Academicorum effata, Deum tamen, materiæ veluti animam excogitabant; atque virtutem; seu verius, materiam esse intelligenti virtute donatam, habereque in se, ultimum, altissimum, atque undique circumfusum, omnia cingentem atque complexum ardorem, ad quem, veluti divinum revera

ad adtributum, preces hominum conciperentur, & vota, ut ex Ennii illo:

Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Dum igitur Deum unum fatebantur ejusmodi Philosophi, ignem illum intelligebant, naturamque illam æthercam, quæ penetraret, animaretque entia universa, quæque diversas juxta res, quas per vim efformabat suam, variis nominibus insigniretur. Quare dum veteres Academici, ceteros adversus Philosophos, animorum humanorum essentiam neque e communis materiæ partibus, neque ex earum dispositione & nexu, contendebant esse constitutam, immaterialem æternamque illam quidem esse prædicabant, ea ratione tamen, ut cum universalissimo intelligente principio permisceri ipsam confundique docerent; eoque pacto immortalem esse, & suo uniri principio existimarent, quod unicus intelligentibus foret omnibus igneus ille vigor immanens, & cælestis origo: quo eruta e fonte Platonis illa de immaterialitate & æternitate erat animi demonstratio, in Phædro. Origo autem tam immanium errorum erat; quod veteres illi omnes Philosophi moralem rationem, caussasque finales, ab efformatione rerum physicarum ablegassent; quum enim Principii cognitionem ex parte, ita ut loquar, moralitatis vestigare

debuis-

debuiſſent ; ut ſcilicet ex ordinis rerum neceſſitate, principium ordinis liberum inferrent; cauſſarum enim nulla cognitu pervia magis eſt , quam finalis ; ipſi ex oppoſito phyſicam totius entis eſſentiam metaphyſicis principiis inquirere perrexerunt ; ſeque cum infinitate confundentes, non minus a phyſica rerum eſſentia , quam ab earum principio longe abierunt . Qui nuper prudentius philoſophati ſunt , uti Newtonus , ubi de Optice agit, atque de Principiis ; Voltæriusque in Newtoniana Metaphyſice, in primi Principii inquiſitione, a finalibus cauſſis non eſſe recedendum docuere, quarum in ſcopulum Atheorum vires ſe poſſe ſolum frangere videntur . Eas vero quum Veteres prætermiſerint , in infinitatis monſtrum cecidere , naturæ ſcilicet , & materiæ accomodatum ; quare qui philoſophico quodam, uti olim inquiebam, oculo rimari fontes non valet , aſt limpidiores ſaltem rivulos utinam confectaretur , eximiosque Recentiores , qui hoc in pulvere ſudarunt, vel unum in Philoſophiæ Hiſtoria Bruckerium . Noſceret profecto ille apertiſſime , quantum diſſiti ab opinione fuere noſtra, & totius Generis humani , veteres Philoſophi, ubi de natura animæ , ejusque poſt mortem conditione pertractarunt . Vidit hoc etiam , qui Tullium egregie adeo interpretatus eſt Cl. Olivetus, in Præfatione ad Librum Tu-

ſculanarum primum, nil minus rationi eſſe conſonum teſtatus, quam ſumma Religionis naturalis Capita in Gentilium quærere ſyſtematibus Philoſophorum; adeo enim a ſyſtemate Religionis Naturalis, & ab ejusdem Capitibus ſummis, principia diſtant veteris Philoſophiæ, ut ſimilibus omnino ſub verbis, immaterialitatis, æternitatis, ceterorumque adtributorum, quæ mentis ideas ab hiſce inferioribus removent, & ab univerſa congerie corporum abſtrahere videntur, oppoſitum involvant tamen ſuis nexum partibus, atque conſequutionibus ſenſum. Itaque egregie magnus ille Heineccius, in Elementis Logicæ, Parte prima, *Nemo*, inquit, *dubitat*, *immortalitatem animæ aliud ſignificare Pythagoricis*, *& Platonicis*, *aliud Stoicis*, *aliud Chriſtianis*. Quum vero Platonicos dicimus, eos ſignificare volumus, qui ante Chriſtianæ Religionis ortum exſtitere. Poſteriores enim, quamvis Ethnicos, noſtri æmulatione, doctrinam reformaſſe ſuam, in Diſputatione adverſus Clericum, a nobis oſtenſum eſt.

XXVIII.

In ea jam vero plurium retulimus testimonia Philoſophorum de natura, & ſtatu animæ poſt mortem differentium, ceteraque inter, il-

lud

hud Senecæ, Epistola IV. Libri VII. scribentis : *Mors est, non esse id quod ante fuit, sed quale sit, jam scio. Hoc erit post me, quod ante me fuit. Si quid in hac vita tormenti est, necesse est fuisse antequam prodiremus in lucem: atqui nullum sensimus tunc vexationem. Rogo, non stultissimum dicas, si quis existimet lucernæ pejus esse cum exstincta est, quam antequam accenderetur? Nos quoque & accendimur, & exstinguimur, medio illo tempore aliquid patimur*. Quæ quidem verba Muretum in admirationem rapuere, quum sibi Seneca aliis in locis dixisse videatur, animos humanos, morte obita, in cœlum avolare; quare consequendum ducit, certum & stabile nihil esse posse, nisi quod vero & solido fundamento nititur, ideoque semper veterum Philosophorum de Deo, de animorum immortalitate, & similibus, judicia fluctuasse. Et hac quidem de re nullo modo dubitandum. Verum, dum Senecam veluti nobiscum olim sensisse docet, humanos animos, morte obita, elatos in cœlum avolare, næ Stoica in Philosophia prorsus hospitem se ostendit Clarissimus ille Rhetor. Non destrui animam, nec exstingui opinabantur quidem, ut jam diximus, Philosophi Academici, non tamen ipsam remanere, & immortalem esse, aut verius, non perire quidem animas, aut consumi fatebantur; non retinere easdem tamen, ad-

adſervareque propriam, ut cum Schola loquimur, perſonalitatem: ſed cum anima mundi, ex qua delibatæ fuerant, iterum confundi, & cum univerſaliſſimo miſcere ſe principio. Itaque & ſcribebat Vetus ille: *Ne dicas tantus ſum. omitte illud tantus. fies univerſalis, cum & antea fueris univerſalis*. (Porphyr. in Sentent.) Qualem vero Seneca immaginatus fuerit animæ immortalitatem patefacit ipſemet, Libro V. Epiſtola I. ſcribens: *Cogita, nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox proceſſura ſunt, reconduntur, conſumi. Deſinunt iſta, non pereunt. Et mors, quam pertimeſcimus, & recuſamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies, quem multi recuſarent, niſi oblitos reduceret: Sed poſtea diligentius docebo, omnia quæ videntur perire, mutari. Æquo animo debet rediturus exire. Obſerva Orbem rerum in ſe remeantium: videbis in hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere, & reſurgere &c.* Platonica autem omnium Renovatio, licet a Pythagorea, & Stoica diverſa, ea tamen non erat, quæ cum opinione humani Generis de futura vita conciliari poſſet, quæque in humanæ vitæ actus ſerio influeret, & cujus conſideratio infelicitatis momenta minuere valeret.

XXIX.

XXIX.

EJUSMODI ex brevissimo Systematis Philosophorum veterum specimine, intelligit quisque cum veritate utique non consonare illos, qui statuunt, Philosophos omnes alteram docuisse vitam, & Platonicos præsertim se illius Dogmatis fidejussores præstitisse. Evidentius se se nobis tamen offert argumentum, quo Philosophos a cognitione statuum futuræ vitæ longe absuisse demonstremus; quum certum sit, tunc solum illius cœpisse fidem Dogmatis nutare vel apud vulgus Ethnicorum, quum se se protulit protenditque Philosophia. Non heic vero respicio encomia quibus hac de re Epicurum celebrat Lucretius; neque enim de Philosophia loquor Epicureorum; sed aliorum satius, qui animæ immortalitatem, æternitatemque prædicabant. Siquidem vel ubi immortales esse humanos animos demonstrare pergebant illi Ethnicorum Sapientes; illarum vi demonstrationum nulla præmia, nullasque esse consequebantur futuræ vitæ pœnas, nullos Elysios campos, nullos Inferos, neque enim ambulare, loqui, aliqua jucunditate, & voluptate affici, aut corporeo agere modo posse sibi persuadere, aut imaginari poterant id, quod post mortem corporeis carere oportebat mem-

bris, & cum mundi anima confundi. Heinc Athenæus, Libro Deipnosophistarum XI. hominem inducit, ita adversus ea, quæ de futura vita docuerat Plato, differentem: *De iis vero quæ Plato disputat in suis Dialogis quid judicandum? Nam ut donemus eorum qui in vita præcesserunt animos in alias sedes migrare, & quia relicto corpore sunt leviores, in sublimiorem locum efferri, quid hoc nos juvat? Ejus vero æternitatis, in qua, ubicumque simus, nihil meminimus; & quamvis omnino simus, nullo rerum sensu tangimur, gratia quænam esse potest, & delectatio?* Stoicos autem respexisse præsertim videtur Disputator ille apud Justinum Martyrem, initio Dialogi cum Tryphone, varias Philosophorum exponens de animæ statu post mortem sententias; inquiebat enim: *Sed plerique, ne id quidem laborant, utrum unus, aut plures sint Dii, & unicuique nostrum utrum provideant, necne; quasi cognitio ejusmodi nihil ad bene vivendum afferat. Hoc autem quonam illis evadat, difficile non est intelligere. Proposita est enim his, qui ita sentiunt, differendi, & sequendi quod libuerit impunitas agendique & dicendi quidquid libuerit licentia, nec supplicium metuentibus, nec boni quidquam a Deo sperantibus. Quomodo enim metuant & sperent, qui eadem semper futura dicunt, meque & te eodem rursus modo victuros, nec meliores factos, nec deteriores?*

Alii

Alii quidam, quum immortalem & incorpoream animam esse ponant, nec pœnam daturos se putant, si quid mali fecerint (pati enim non potest quod incorporeum est) nec jam Deo, quum immortalis sit anima, quidquam indigent. En quo evadebant Philosophorum de Natura & immortalitate animæ demonstrationes.

XXX.

EJUSMODI quippe Philosophiæ arcanis in Theatra, & fora, & apud Sophistas receptis, Religio, sive relate ad Caput de Natura & Providentia Deorum, sive relate ad alterum futuræ vitæ, magnas clades accepit. Lucianus enim, Libro veræ Historiæ II. non verebatur esse totus, in irridenda Populorum de Inferis, & Elysiis persuasione, & ironico quodam stilo memorabat, animos, morte obita, corpora quidem non habere, & impalbabiles esse, ea præstare tamen omnia, quæ corpus proculdubio requirunt. Stare, ambulare, & moveri eos sine pedibus, vocem emittere sine lingua, videre sine oculis, sine auribus audire, aliaque perficere; quorum antilogia lætam præbebat auditoribus materiam. De morte vero agens Peregrini, nonne stultissimos mortalium Christianos appellabat, qui se omnino immortales & perpetuo victu-

victuros jactitabant? Heinc Polybius, qui veterum Romanorum disciplinam celebrabat, quod doctrina futuræ vitæ, & commentationibus, ut ait, Inferorum, Rempublicam feliciter & prudentissime rexerant; de suis tamen Græcis quam maxime querebatur, quod nimium jam tunc disseminata in Hellade Philosophia, incerta effecerat vel apud vulgus eam futuri Sæculi doctrinam: maximum videlicet, vitæ & Societatis fundamentum. Itaque, ita excerpto prosequebatur Libri VI. ut de ceteris sileam, qui publicam pecuniam apud Græcos tractant, si vel unum dumtaxat talentum fuerit eis creditum, decem Rescriptionibus adhibitis, sigillis totidem, testibus autem duplo pluribus, fidem tamen ut servent impetrare ab iis nequeas. Oppositum autem apud Romanos evenisse subjicit, ob jusjurandi Religionem, metumque Inferorum, & spem felicioris altera in vita conditionis.

XXXI.

Sed, & Græcis serius licet, philosophari perrexere denique Romani, iisdemque, quibus illi, uti demonstrationibus evincendæ animorum immortalitati. Quid inde tunc evenisse constat? Ablatum fuisse Inferorum timorem, pœnarumque, quas Religio minabatur post mortem.

Idque

Idque ſatis patet apud Tullium, Libro Diſputationum Tuſculanarum IV. ubi in immortalitate animæ demonſtranda inductus ille ab Oratore Diſputator, totus eſſe videbatur; eos quippe contemnebat, qui cadentibus in terram corporibus, illisque humo tectis, e quo humari dicebatur, ſub terra cenſebant reliquam vitam agi mortuorum; aut corpora cremata quum ſcirent, ea tamen fieri apud Inferos crederent, quæ ſine corporibus nec fieri poſſent, nec intelligi. Itaque plenos eſſe ajebat idem Diſputator Libros Philoſophorum contra iſta ipſa differentium. Plinius revera ita in ſuorum opinionem popularium, ut rebatur, inanem, Libro ſcribebat VII. *Poſt ſepulturam, aliæ, atque aliæ Manium ambages. Omnibus e ſuprema die, eadem quæ ante primum. Nec magis a morte ſenſus ullus aut corpori, aut animæ, quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam ſe propagat; & in mortis quoque tempora, ipſa ſibi vita mentitur. Alias immortalitatem animæ: alias transfigurationem: alias ſenſum inferis dando, & manes colendo, Deumque faciendo, qui jam etiam homo eſſe deſierit: ceu ullo modo ſpirandi ratio hominis a ceteris animalibus diſtet; aut non diuturniora multa in vita reperiantur, quibus nemo ſimilem divinat immortalitatem. Quod autem corpus animæ proſequitur materiam; ubi cogitatio*

illi?

illi? quomodo visus? auditus? aut qui tangit? qui usus ejus? aut quod sine his bonum? quæ deinde sedes? quantaque multitudo tot sæculis animarum, velut umbrarum? Puerilium ista deliramentorum, avidæque numquam desinere mortalitatis commenta sunt. Evulgatis autem ejusmodi apud Romanos etiam Philosophiæ arcanis, idem apud ipsos, atque quod olim apud Græcos, evenisse oportebat. Jam enim ex Philosophorum Commentariis irrisiones Inferorum ad fora transiere, & ad Rhetorum Orationes, uti videre est in Catilinaria quarta, & in Oratione pro Cluentio, in qua ita Tullius: *Nam nunc quidem, quid tandem illi mors attulit? nisi forte ineptis & fabulis ducimur, ut existimemus illum apud Inferos impiorum supplicia perferre, & plures illic offendisse inimicos, quam hic reliquisse. A socrus, ab uxorum, a fratris a liberum pœnis actum esse præcipitem, in sceleratorum sedem atque regionem: quæ si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem mors eripuit, præter sensum doloris?* Non heic certe Academicum, sed Dogmaticum agit Orator, Judicialibus nempe in Orationibus ad Senatum & ad Populum habitis, quæ caussarum esse solent, & temporum; non hominum ipsorum & Patronorum. Denique eodem loquebatur sensu, in eo scriptorum genere, in quo candide loqui & libere solemus,

lemus, familiaribus nempe in Epistolis, quæ notissimæ censentur.

XXXII.

IPSI Hebræorum filii, qui, ut nos contra Clericum evicimus, futurum semper credidere Sæculum; aut, si Clerici sententiam amplecti mavis, post Captivitatem saltem Babylonicam, & Macchabæorum ætate, constantes adeo in præmiis alterius vitæ sperandis, timendisque suppliciis fuere; statim atque tamen Alexandriæ philosophati sunt, postquam scilicet regnarunt Ptolæmei, in dubitationem illius dogmatis demum cecidere. Nam ex erroribus Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, Philosophorumque Orientalium, & Ægyptiorum; Eclecticam illam conflavere sectam, sive Cabbalisticam doctrinam, qua, in Natura animæ consideranda, ejusque post mortem sorte, verissimum tandem (si quemdam excipias loquendi modum) verissimum, inquam, constituere Spinosismum; de quo Windetus, Bruckerius, Buddeus, aliique sexcenti. Itaque abest adeo, ut veteres Philosophi futurum Sæculum docuerint, futuræque vitæ sponsores fuerint, quod perperam Zanottus arbitratur, ut ipsis potius asserenda sit Philosophis eversio Dogmatis adeo necessarii; quare summo

jure

jure Maupertuisius, Vir ille magnus, qui veram habebat veteris Philosophiæ notionem, præconceptum æque habuit, doctrinam futuræ vitæ a sola esse Religione repetendam.

XXXIII.

PRÆSTANTISSIMO Zanotto suppetias quis ferre tamen posset, Sanctorum non modo testimoniis Patrum adfirmantium Platonem ea de futuræ vitæ tradidisse statu, quæ jam antea docuerant Prophetæ; verum magis etiam, Platonis ipsius verbis, qui & in decimo de Republica, & in Timæo, & aliis in locis, Judices Inferorum, & gaudia & pœnas, Tartarum demum, & Elysium, ea describit & adserit ratione, qua in carminibus prostant Poetarum, & a vulgo credebantur. Cui quidem argumento satis olim me occurrisse reor, tum ubi de Traditione egi Principiorum Legis Naturalis, cum etiam in Disputatione de futuro Sæculo adversus Johannem Clericum. Nam quamvis amabile consilium esse fateamur, non male interpretari, sed meliorem semper in partem, eorum accipere & explicare verba, qui humanæ nobis jecere fundamenta sapientiæ; Philosophorum mens animusque tamen, non e propositionibus heinc inde congestis, sed e doctrinæ arca-

arcanioris nexu, & adſertionibus in ſyſtema collimantibus, ſumi debent atque dignoſci; nec ſingulis vocibus veteres præſertim illi ſpectandi ſunt; ſed perpetuitate atque conſtantia. Prioribus igitur in Libris, explicato ex Gundlingio, ſpinoſiano ſyſtemate Platonis, animadverti cum doctiſſimo Stellino, Platonem, ingenio ſummo præditum, omnique doctrina expolitum, & in utraque facultate, quod paucis contigit, parem, ea videlicet pervidendi, quæ ſejuncta a concretione mortali, abſtractæ a ſenſu menti tantummodo patent, & ea, quæ mente percipiuntur, ſenſibus ipſis exhibendi quaſi colorata & magnifice illuminata, res haſce duas inter ſe disjunctiſſimas una compoſuiſſe, & ex utraque conflatum genus dicendi adtuliſſe, quod verborum ſplendore, rerumque pictura, pigmentis omnibus illita, delectat ſæpe magis, quam doceat. Et quidem tam crebro, tamque intemperanter calamiſtros orationi adhibuiſſe ſuæ, ut non ſolum a Philoſophi hominis ſeveritate deſciverit, ſed etiam Poetarum audaciam viciſſe videatur. Heinc animadverti, eum quosdam ſugillaſſe, quod in translationes immoderatas, inque allegoricum correptus tumorem, quaſi furore quodam efferratur; notatumque eo nomine, quod lemniſcos verborum ſtudioſius, quam rerum pondera fuerit inſectatus. Quare dum a ſenſilibus

ad insensibilia, a rerum imaginibus perpetuo fluentibus, ad rerum species ipsas, quæ neque gignuntur, neque interituræ sunt unquam, traducit animos, ut umbrarum harum consuetudine contractus error luce veritatis eluatur, allegoricis involucris omnia prætexens, retraxit ad umbras easdem, & sublustri nitore quodam occupatos ita adfecit, ut admiratione potius obstupefactos dimittat, quam evidentia collustratos. Quum enim Poetarum omnes undique flosculos conlegisset, & numerorum mysteria, doctrinamque idearum ab Epicharmo adumbratam penitus introspexisset, coegit in unum hæc omnia se se vicissim impedientia, perque flexuosa, & fabulosis imaginibus intersperfa circumductos eo quosque trahit, ubi se nemo recognoscat; sed ipsa rerum Universitate circumfusus, absorbeatur; ac denuo conjunctus cum mente summa, ex qua delibatus est, se Deum esse credat. Nam, ut ex sensu Platonis Tullius; Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit, & moderatur id corpus, cui præpositus est; ut nemini videri mirum debeat, si tam multi ex hac disciplina fanatici lymphatique prodiere; tamque multa poeticis decora fabulis, a Poetis demum avide arrepta, & ad fastidium usque inculcata esse reperiantur.

XXXIV.

XXXIV.

Et ea quidem priore in Libro, melius in altero tamen nodum solvisse hunc arbitramur. Considerata quippe Platonis doctrina, qua Judices aliquando constituit apud Inferos Justitiæ Custodes, actuumque humanorum vindices & remuneratores; eorumque nomina & officia, & varia poenarum genera, quæ improbis infligere ipsi dicebantur, adsignat; animadvertendum statim duximus, veteres Philosophos non semper ex systemate loquutos, sed, Poetarum instar, modo communes ad opiniones, modo aliorum adlusisse ad sententias, modo ad suas. Dialogos illi, ut in Platone, & Tullio, videmus, frequentissime scribebant, in quibus per inductas, quæ loquerentur, Personas, opposita principia, oppositas tueri Leges, opposita sæpe etiam Dogmata propugnare videbantur. Quamobrem, esto uti Vulgus haud semel loquerentur, & communem ad opinionem omnis eorum accomodaretur Oratio, alia tamen erat, quum veritas ipsa limaretur, in Disputatione sententia, & ratio cogitandi. Permanere animos fateri, imo arbitrari etiam videbantur, ob consensum Nationum omnium, aut timentium inferos, aut colentium, nempe ob universalem Populorum omnium Traditio-

nem, & Religionem. Aſt ubi ventum erat ad modum illius permanentiæ explicandum, ſtatim tunc humana Ratio & Philoſophia omne deſtruebat univerſalis Religionis ædificium. In veteribus igitur Philoſophis diſtinguere opus eſſe ſubjecimus, quid ex ore omnium æque comuni ex ſententia, quid contra, ex propria, exque ſyſtemate protulerint: poſtremum hoc, futuro adverſari Sæculo; illud autem futuram vitam confirmare vehementer; eamque eſſe clavim doctrinæ eorum intelligendæ; qua de re, uberrima protulimus exempla, minime in præſens repetenda.

XXXV.

CANONEM certe illum confirmare poſſumus ex iis quæ Johannes habet Clericus in Notis ad Prolegomena Eccleſiaſticæ ſuæ Hiſtoriæ, qui ſibi Poetarum veterum in gratiam illud ſpecioſius objiciens, ipſos nimirum de Diis perinde ac de hominibus eſſe ſæpenumero loquutos; ſed multa adhuc tamen paſſim ab eisdem dici & prædicari, quæ in homines minime quadrare poſſunt; qualia non pauca colligi ex eorum ſcriptis queat; ac proinde quæ minus conſentanea præſtantiſſimæ ſupremi Numinis naturæ ab iis dicuntur, allegorice eſſe intelligenda. Cui objecto re-

cto regerit ille tamen : haud diffiteri se, eam fuisse Poetarum scribendi rationem; deque Jove, exempli caussa, dicta esse ab Homero, aliisque, quasi de summo Deorum, multa quæ Deum verum deceant, quæque de homine cogitari nullo modo poterant. Ejusmodi repugnantiarum tamen rationem Viros doctos non esse satis adsequutos, quam dudum adperuisse se subdit Clericus, & paucis hic etiam adponit. Nimirum apud Græcos, ut apud ceteros omnes Populos, fuisse quasdam ait primævæ & veteris Theologiæ notiones, ab antiquissimis humanæ Gentis Conditoribus acceptas, e quibus notionibus aliquando de Diis loquutos rectissime Poetas. Notionibus autem illis magna ex parte obliteratis, subjisse novum quoddam falsumque Theologiæ genus, quo homines, & quidem improbi, Deorum in numerum relati, unde quæcumque absurda de Diis dicta sunt, denique manarunt. Poetas repugnantia duo hæc Theologiæ genera non invexisse primos animadvertit, sed jam hominum in animis inventa exornasse, & expoliisse; aut, si mavis, magis & magis corrupisse. Nihil igitur necessum esse quæri propterea oportere allegoricas interpretationes; ea enim de caussa factum esse, ut Homerus nunc de Jove ea dixerit, quæ revera Deo digna sunt; nunc quæ homini, & quidem improbo, melius conveniunt; nunc

eum

eum in cœlo habitantem e prisca Theologia descripserit; nunc vero in monte *Olympo*, qui in Thessalia fuit; unde postea etiam factum, ut *Cœlum*, & *Olympus* miscerentur, quæ erant sane diversissima. Jam vero quod de Poetis ait Clericus, idem omnino de Philosophis veteribus, sive eorum de scribendi ratione, statuendum. Sparsa erant adhuc siquidem per Orbem universum veræ primæque vestigia Religionis; interpolataque Religio veræ vices ubique agebat; obtinebantque omnes apud Populos summa illa Naturalis Religionis Capita, fabulis licet intersperfa. Non erat autem verisimile, omnes Philosophos ea laborasse imprudentia, ut Inferos & Elysios fabulam rotundo ore appellantes, Populum efferare vellent, & Magistratuum in se judicia provocare. Populus siquidem jam tum de Philosophia, ceu Religioni inimica, sinistre sentiebat; cujus rei locupletissimus testis est Plutarchus, in Vita Niciæ scribens: *Primus, qui lunaris luminis, atque umbræ caussam deprehendit, & litteris mandare ausus est, Anaxagoras fuit, qui neque multo ante ea tempora claruerat, neque in Vulgus adhuc opinionis ejus fama prodierat, sed inter paucos admodum versabatur, qui non sine metu talia proferre audebant. Neque enim facile de rerum natura sermones Populus admittebat, sed ejusmodi studiis deditos homines*

inani

inani labore tempus conterere arbitrabatur, quum in his rebus laborarent, quas nihil in se rationis habere, & nullatenus ab hominibus prævideri posse putabat: tum vero talia quærentes impietatis crimine suspectos Populus habebat, quasi Divinum Numen quibusdam necessitatibus & terminis circumscribere volentes. Itaque & Protagoram Athenis pulsum fuisse: & Anaxagoras in carcerem ductus, vix a Pericle servari potuit. Tunc igitur temporis Sapientes satagere, ut Philosophiæ arcanioris mysteria vocibus tegerentur a Religione consecratis; quin eorum tamen systemata possint simulationibus illis jure vindicari. Aut Philosophiam fortasse omnem, veluti mentis lusum Philosophi illi magnam saltem partem habuere; nec illius eam fortasse habuere rationem, quam nos stultissimi in præsens. Heinc tot egregia apud eorumdem nonnullos ex Traditione communi hausta & ornata, uti illa Socratis, de Legibus a Diis ortis, apud Xenophontem. Quæ tamen in hypothesi nullam habuissent aliam futuræ vitæ, diversorumque ejus statuum notionem, quam apud Populos receptam, & ab universali Religione derivatam.

XXXVI.

XXXVI.

Unum modo adjicere fas sit contra opinionem de certitudine futuræ Vitæ a Philosophis promissa. Nempe vel Philosophos illos quoque, apud quos totius humani Generis auctoritas & consensio plurimum valebant, quique hoc Religionis Caput, verum esse quam maxime voluissent, illos adhuc, inquam, eo in Dogmate nutasse, nuncque ad auctoritatem & Religionem, nunc vero ad Philosophiam denuo flexisse, cujus exemplum rei in ipso habemus Tullio; qui ubicumque Philosophum agit argumenta argumentis opponit, exempla exemplis, ut re in dubitationem revocata, cuicumque liberum sit de ea arbitrari quiquid verisimile sibi videatur. Marcus ille qui apud Tullium, Libro Tusculanarum Quæstionum primo, cum Attico de contemnenda morte differit, enumeratis Philosophorum animi de natura sententiis, harum, subdit, quæ vera sit, Deus aliquid viderit. Atticus quidem delectari se fatetur in ea, quæ spem affert, docetque posse animos, quum a corporibus excesserint, in cœlum, quasi in domicilium suum, pervenire: quod etiamsi ita futurum non sit, sibi tamen persuaderi vellet; cujus caussa evolvisse se ait diligenter, & quidem sæpius,

Pla-

Platonis Librum, qui est de animo; sed nescio quo modo, subdit, dum lego, assentior: quum deposui Librum, & mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, assensio omnis illa elabitur. Platonem inducit Orationem proferentem, qua usum facit apud Judices Socratem jam morte mulctatum, & apud Tyrannos præstantissimum Theramenem. Voluisse autem in ea legimus Platonem id modo, quod Attico Marcus persuadere conabatur; nostri scilicet, sive post mortem remaneat, sive sit animus ejus etiam post fata superstes, mori tamen numquam malum esse dicendum. Ea prorsus ratione, qua, etiamsi aliquando se ait Tullius iis minus posse assentiri, qui cum corporibus simul animos interire docebant, atque omnia morte deleri: magisque apud se Antiquorum auctoritatem valere, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt; quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; seque, si in hoc errasset, quod hominum animas immortales esse credidisset, lubenter tamen errare, nec sibi errorem illum, quo delectabatur, velle, dum viveret, extorqueri; hæc, inquam, quum & in Libro de Amicitia scripsisset Cicero, & in Libro de Senectute; ibidem tamen, ò miserum, subdit, senem, qui mortem non contemnendam esse in tam longa ætate non viderit, quæ aut plane

negligenda est, si omnino extinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus æternus! Rogo jam vero, num verisimili tantum, & incerta in re rationem augendæ felicitatis, aut minuendæ infelicitatis ponere momenta debeamus?

XXXVII.

Non negaverim Philosophos Christianos, illustriores in medium protulisse immortalitatis animæ demonstrationes, quas fuse recensuimus, ubi de Traditione egimus Principiorum Legis Naturalis; eas tamen apud aliquos tantæ virtutis non fuisse animadvertimus, ut eorum extorquere potuerint consensum; præsertim quum demonstrationes illæ pene omnes, uti nostrorum, ita æque Brutorum animi immortalitatem viderentur denique probare. Sint tamen, per nos licet, sint illæ, veræ demonstrationes; illarum vi tamen alteram credidisse vitam Arabes, Ægyptios, Chaldæos, Græcos, & Romanos, non imaginabitur Zanottus, uti nec earum ope futuram credunt nunc vitam tot hominum myriades, qui an ne umquam in rerum natura fuerit, qui demonstrationes invexit illas, ne quidem cogitarunt. Quis enim Vulgarium hominum, Populisque, qui non ex corona modo, sed

ſed etiam ex chlamydatis conſtituitur, certo ſibi perſuadet futurum ſe, morte obita, ſuperſtitem, quod anima principium ſit motus; aut quod nihil contineatur in idea animæ, eorum, quæ concipiuntur in idea corporis; aut quod perpetua oppoſitio adſit inter judicia intellectus, & judicia ſenſuum; aut quod diviſibilis ſit materia, intellectio ex oppoſito indiviſibilis, (quod tamen naturam animæ reſpicit, non ejus immortalitatem; & natura quoque indiviſibilis, ſi creata tamen ſit, & ex nihilo educta, doctiſſimorum hominum ſententia, in nihilum reverti ſuapte natura poſtulare videatur.) Quis inquam, hiſce, ſimilibusque actus argumentis, certo immortalem ſe futurum credit? Quare autem ex hodierno, quod ſub oculis eſt, hominum genere, de præteritis omnibus cogitare non debemus? Præſertim quum non virtute ratiocinii veritatem illam tenere mortales debeant, ſed inſtar, ut ita dixerim, principii. Principium autem, ut fuſe adeo, de honeſtate diſſerens, ſtatuit Cl. Zanottus, a ratiocinio pendere non debet. Verum hac de re mox; placet enim prius unam ex allegatis ejus propoſitionibus in examen revocare, ut rem ejuſmodi uberius illuſtremus.

XXXVIII.

Siquidem ut Rationi cognitionem & certitudinem assereret futuri animorum status, hæc ille, ut vidimus etiam, protulit: *Probare non possum, Maupertuisium humanam rationem eo adegisse, nihil ut expectet post mortem; nec intelligo, quonam pacto id cum Religione componatur, quæ numquam Rationi fuit inimica.* Quo equidem in effato mirum in modum diversissimas res, rerumque diversissimas ideas confundit Vir doctus. Ex quo enim Religio non sit Rationi inimica, haud perinde inferri debet, ea omnia præstare Rationem posse, quæ præstat denique Religio. Ut enim Mysteria Christianæ doctrinæ in præsens omittamus, quæ, Bælio, & miseris tantum, & invisissimis Socinianis exceptis, non contra rationem, sed tantum supra rationem esse, omnes omnino Sancti Patres, omnes rerum Ecclesiasticarum Tractatores, Theologi omnes, docuere; quin tamen humana ratio Mysteria illa non dicam comprehendere, sed intelligere etiam perfecte valeat; quare supernaturali fidei dono opus esse consequamur. Ut, inquam, ejusmodi omnia omittamus, rogarem Cl. Zanottum tamen, num Ratio sit sensui inimica? aut supremus Dux Legato suo inimicus? aut suæ

totus

totius exercitus Legioni? aut rudiori homini doctissimus Philosophus? minime quidem gentium, regereret opinor ille. Num vero ex quo Ratio sensui non adversetur, supremus Dux Legato, exercitus Legioni, Philosophus rudiori homini, quæcumque poterunt Ratio, supremus Dux, Exercitus universus, & præstantissimus Philosophus, æque præstare poterunt sensus, Legatus, Legio, & homo nulla imbutus disciplina? Non reor tantum Virum consequutionem tam ineptam concessurum. Certe Dogma futuræ vitæ prima inter Legis Naturalis principia esse enumerandum negabit nemo; nosque etiam præcipuum statuimus, ubi de illis fuse egimus. Verum, non ideo naturalia dici ostendimus ejusmodi principia, quod a natura, & ratione ortum habeant; sed quod illi accomodata sint prorsus, & omnino necessaria. Ejus vero rei claram apertamque exhibuimus imaginem in communi animæ theoria, quam facile concipimus naturaliter corpori uniri, in eo naturaliter esse, ejusque ad motum naturaliter aliquando & ordinate moveri; quin tamen eandem aut corporis, aut hominis virtute effici posse credamus; solumque a Deo creari fateamur. Quamvis vero haud me lateat, non ita omnes de essentia & unione animæ cum materia cogitare, ita cogitaturum reor tamen Cl. Adversarium, Peripatetico-

ticorum, ut videtur, sententiis addictum. Quot egregii veteres recentioresque Scriptores Religionem cum Ratione perfectissime coire ostenderunt, quin tamen eisdem in mentem caderet pares esse utriusque vires, aut Rationem Religione non indigere? Ex tenuitate imo Rationis, post peccatum præsertim, Religionis necessitatem demonstratam esse contenderunt; quare Eminentissimus Poliniacus, ita suum absolvit Librum Anti-Lucretii nonum.

Quapropter geminis fundatur nostra columnis
Relligio: quas non timor, aut male suada cupido,
Ipsa sed ante oculos prudens Natura locavit:
Esse Deum Auctorem rerum, Justique tenacem;
Esse animos nullo perituros temporis ævo.
Sed quia non poterant hominum diversa per Orbem
Tot capita inter se concordi degere sensu;
At primam veri effigiem turpavit in horas,
Qui passim infecto de fonte scaturiit error;
Naturæ vox conciderat, lex victa fluebat
Naturæ, humanis nisi vox Divina sonaret
Auribus; & sanctam, cui nos submittere vellet,
Amoto Deus ipse daret velamine, Legem:
Ut fax Naturæ, meliori lumine fulgens,

Jam

Jam dubiæ noctis malefidas vinceret umbras.

Opprimerem heic copia testimoniorum Cl. Zanottum, si testimoniis res agenda foret; a Bælianis quippe ad nostra usque tempora, quoquot fuere vel inter Anglos, & Gallos, & Batavos, Germanosque, præstantissimi rerum harum Scriptores, difficilius esse arbitrati sunt difficultatibus, quæ se se offerunt in Systemate Religionis tantum Naturalis, quam iis, quæ e systemate effluunt Religionis revelatæ objectionibus occurrere. Verum cum Viro, qui solis utitur ratiociniis, rationibus etiam solis agendum est.

XXXIX.

NON possumus tamen, quin egregium Tertulliani testimonium in medium adferamus, quum agatur in eo præsertim de immortalitate animorum, sive de illius cognitione, quam a Religione magis, quam a ratiocinio, & a Philosophia tuetur hauriendam. Ille igitur ita in Libro de Anima scripsisse legitur: *Certe nullum alium Animæ Demonstratorem, quam Auctorem. A Deo discas, quod a Deo habeas; aut nec ab alio, si nec a Deo. Plane non negabimus aliquando Philosophos juxta nostra sensisse. Testimonium veritatis est etiam inventus ipsius. Nonnumquam*

& in

& in procella confusis vestigiis cœli & freti, aliquis portus offenditur prospero errore; nonnumquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca felicitate; sed & naturæ pleraque suggeruntur quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare dignatus est. Hunc nacta Philosophia ad gloriam propriæ artis inflavit præ studio (non mirum si ista dixerim) Eloquii, quidvis struere, atque destruere eruditi, magisque dicendo persuadentis, quam docendo. Ante pauca vero dixerat, Socratem moriturum, plura quidem de immortalitate animæ loquutum, sed *ad injuriæ frustrationem*; illiusque sapientiam *de industria venisse consultæ æquanimitatis, non de fide compertæ veritatis*. Significare nempe Tertullianus satagebat, casu potius, quam vera scientia Philosophos in illas incidisse summas veritates; aut eas e vi potius & speciali mentis solertia, quam ex constanti hausisse & certissimo principio; adeoque easdem rudioribus non potuisse demonstrare. Qua nam ratione revera ceteris eas demonstrassent, quum de illis ipsi adhuc dubitarent? Plinius frequentissime mundum æternum, eumque Numen æternum appellare solitus, immensum, neque genitum, neque interiturum umquam; ejusque cetera indagare, nec interesse hominum, nec humanæ mentis capere conjecturam, Libro tamen Historiæ Naturalis secundo,

Quis-

Quisquis est Deus, inquiebat, *si modo est alius præter mundum, & quacumque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui*. Quæ optima videretur cogitatio immaterialitati Dei demonstrandæ, nisi de distinctione subiecti illius immaterialitatis a mundo dubitasset. Sic Lucanus, Libro Pharsaliæ VIII.

Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
Immisere rates, nullas cui prætulit aras
Undæ Diva potens Paphiæ, si Numina nasci
Credimus, aut quemquam fas est cœpisse Deorum.

Illud autem *si*, ut vides, totum, ut jam diximus, destruebat ædificium; quod, si quando veteres Sapientes de altissimis rerum harum disserebant principiis interesse perpetuo consueverat. Itaque si de immortalitate animorum, deque futura vita doctiores dubitabant, quid de Populo fuisset, nisi Religio tam necessarium illi suppeditasset vitæ recte ordinateque instituendæ fundamentum?

XL.

Ne vero nos veterum erroribus Philosophorum abuti velle quis credat, aut humanæ corruptionem naturæ, humanique intellectus tenui-

K tatem

tatem nimium exaggerare; alia via contra Cl. Zanottum differemus. Dabimus igitur liberaliter ita cogitanti, futuræ Dogma vitæ unam ex illis esse veritatibus, quibus statim atque propositæ humanæ menti sunt, ipsa acquiescat, neque ulla valeat ratione, earum de existentia dubitare. Itaque futuram esse vitam homini pene omni certissimum principium esse, eo modo quo principia definit Cl. Zanottus, constituamus; ita enim ille de honestate rerum loquens, principiorum naturam definit: Qui de Principiis disputant, haud satis eorum ideam, aut vocem percipere se manifestant. Nil enim aliud eo donant nomine Philosophi, quam effata illa, quæ semel menti proposita, ita mens eisdem adhæret, ut, vel invita, nullo possit pacto de eisdem dubitare. Itaque statim atque aliqua de re, vel volens, dubitare non posses; vel si contra differerent Philosophi universi, principium illa tibi esto; non enim argumentis, & disputationibus, sed intimo quodam sensu principiorum natura, veritas, & firmitas, percipitur. Neque enim, quo rem ita se habere dignoscas, opus est inquiras quid alii senserint, aut sentiant; quum semel atque rem intime certo teneas, oppositæ aliorum opiniones efficere non possint, ut id, de quo dubitare non potes, tibi non sit certissimum principium. Quæ quidem Zanotti defi-

definitio, etiamsi relate ad moralem rerum honestatem, & turpitudinem admitti possit; haud video tamen, an æque certa dicenda sit, relate ad alias veritates, quæ non suapte natura e rebus ipsis effluunt, sed suam habent e caussis exstrinsecis & liberis existentiam; uti doctrina est futuræ vitæ. Quamquam & illa definitio per se latius nimium patet; quot enim sunt de quibus nobis videre videmur nulla posse ratione dubitare, quæ tamen & falsa sunt, & in dubitationem ab aliis revocantur? Heinc quam infinita essent, aut innumerabilia, & inter se opposita Principia! Dic homini e Vulgo ut dubitet terram stare, solemque moveri; dic eidem dubitet ignem in se calorem intrinsece non habere. Te ille delirare consequetur. Quot etiam, quæ a sensibus non dependent, a nonnullis instar principiorum habentur, quæ alii vera esse negant? Quin & propositiones, & consequutiones omnes, de quibus dubitare aliquis non poterit, pro allegata Viri Cl. definitione, homini dubitare non valenti principia evadent; quod nemo tamen dixerit. Non satis igitur, axiomate citato, Principiorum naturam explicatam esse arbitramur. Sed & nullius est usus quæcumque principiorum cognitio, & certitudo, ignorata applicandi illa principia ratione, uti a tot egregiis ætate nostra Viris demonstratum est.

XLI.

PONIMUS adhuc tamen principium veluti esse homini cuicumque, sola intellectus vi, & nulla habita Religionis ratione, futurum se morte obita superstitem. Quot adhuc desiderantur tamen, ut cognitio illa evadat practica, utque vim habeat tum retrahendi hominem si summa in infelicitate versetur, ab autocheiria; tum ut ex ea rationem petat minuendi momenta infelicia? Plurima quidem adhuc desiderantur, & quæ solum a Religione possunt obtineri. Et quod ad primum quidem adtinet, Zanottum rogo præstantissimum, cur homo quicumque sibi certo persuadere debet futurum se, morte obita, superstitem? Caussam ejus rei ipsum jam in medium protulisse novimus: *Ignoro*, scripsit, *cur fidenter adeo adseratur, humana ratio carens omni spe futuræ vitæ; quare, qui fortiter constanterque præsentis mala vitæ sustinuerit, præmium in altera non possit expectare*. Quo ex argumento præconceptum a Zanotto vides id quod, hisce in ipsis suis Animadversionibus, ipse non admiserat. Dum enim Maupertuisius statuit, bonorum hac in vita summam a complexione malorum longe superari, Zanottus, suorum contra mentem & sententiam Stoicorum, hominum veluti impoten-

ten-

tentiæ hanc querelam tribuit, ceu probi videri vellent, quod ſint infelices, quum vulgo infelices, probi dicantur, improbi, felices; aut aliorum commiſerationem ciere potius vellent, quam invidiam; aut exaggerationibus Oratorum, & Tragicorum imaginibus, totus ille queſtus aſſerendus eſſe videatur. Et tamen tot illi Viri ſummi, qui de Religione, vel de Theologia puriori Gentilium ſcripſere, ea præcipue de cauſſa, mortales omnes futuræ judicium vitæ timuiſſe infinitis Veterum teſtimoniis oſtenderunt, quod bona malis, & mala bonis, hac illi in vita contingere cernentes, non aliam tuendæ Divinæ Juſtitiæ rationem excogitaſſent, quam ſi poſt mortem aliud adhuc ſupremumque ſtatuerent judicium. Si juſtus eſt, inquiebant, ut equidem eſt juſtus, ille rerum omnium ſummus Imperator, altera profecto poſt hanc reliqua eſt vita; quum enim in hac proſperum ac felix ſcelus, virtus vocetur, ſontibus pareant boni; jus ſit in armis; opprimat Leges timor; nec ad latenter peccantes earum ſeveritas ſe ſe exſtendat; alter neceſſe eſt futurus ſit ſtatus, alterque Judex, qui audiat, caſtigetque dolos,

ſubigatque fateri
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Itaque ſi, quum res hominum tanta caligine volvi

vi aspicerent, lætosque diu florere nocentes, vexarique pios, quare pene labefactata eorum caderet Religio; alterius tamen opinione vitæ, hunc tandem sibi facile auferebant etiam Ethnici tumultum, Deosque absolvebant, cur adeo miratur Zanottus de iis, qui, seposita Religione, de præsenti queruntur Œconomia, statuuntque, bonorum summam, a summa malorum hac in vita longe superari?

XLII.

Verum, ut vidimus, ad allegatum confugiendo argumentum, jam tandem præconcipit ipse quoque quod irriserat. Inquirendum adhuc tamen, cujus sit virtutis illud argumentum, si Religione non fulciatur. Qua equidem in re non excitabo heic audacissimas Bælii concertationes de origine mali, quibus argumentum evertere illud velle videamur, neque animadvertemus, haud omnibus adrisisse Leibniziana, Wolfianaque Bælianis illis Objectionibus Responsa, quæ magnas potius cierunt undique Quæstiones; quare Buddeus, in Introductione ad Philosophiam Hebræorum consequutus sit, cur Viris bonis mala accidant, quum sit Providentia, ex sola ratione, seposita Traditione, nullo modo posse expediri. Non excitabimus, inquam, has quæstiones,

nes, quæ male animatum Philoſophum turbare poſſunt, non bene affectos populares. Verum, ut argumentum adhuc illud apud hoſce certum ſit, & practica evadere poſſit ejusmodi cognitio, animadvertendum primum ducimus, haud ſatis eſſe, ſi quis ex Juſtitia Divina imaginetur alterum futurum omnia compenſantem ſtatum; aſt æque neceſſum eſt, aliquam ut habeat ſibi conſtitutam illius ſtatus notionem, quæ ſola certe ratione, apud Populum præſertim, figi, ſtatuique non poteſt. Quomodo enim quis ſperet, aut timeat id, quod quale ſit ignorat? Num quæ poſſibilia ſibi futura fore quis conciperet, dein Academicorum phraſi ſubderet: *Horum quodnam verum ſit, Deus aliquis viderit?* aut Socratis uteretur morituri verbis: *Sed tempus eſt jam hinc abire, ut moriar: Vos, ut vitam agatis. Utrum autem ſit melius, Dii immortales ſciunt; hominem quidem ſcire arbitror neminem?* (Tullius Libro Quæſtionum Tuſculanarum I.) Ut porro firmiſſimum ducebant etiam Ethnicorum nonnulli alteram futuram vitam, permanſuroſque animos, conſenſu Nationum omnium, intimoque quodam naturæ ſenſu; aſt vero qua in ſede maneant, qualeſque futuri ſint, ratione dignoſcendum eſſe contendebant; heinc, ut allegato videri poteſt Tullii loco, quum ratio ſedes illas a communi Populorum voce decantatas, communi-

munique Traditione receptas, irrideret, ratiocinia inducta sunt illa, quibus, dum permanentia, & confusio humani animi cum anima mundi demonstraretur, diversi illi pœnæ, gaudiique evertebantur status; quod idem profecto erat, atque futuram vitam verissime evertere, secundum quod concepta & statuta fuerat ex argumento illo a Divina Justitia derivato. Eversis sane Tartari, Erebique, & Orci apud Ethnicos opinionibus, ablatus omnis fuit timor Sæculi futuri; & exemplum non dicam Virgilii, Libro Æneidos sexto, Erebum describentis respectu ad Romanorum Forum, & Judicia Græcorum; sed ipsius etiam Salvatoris ad mores alludentis, adque consuetudines, ad Judices, & Leges, & ad nota Judæorum Tribunalia, in præmiis pœnisque futuri Sæculi explicandis, sat evincit, necessariam aliquam fuisse, quo crederentur, illorum statuum notionem. Omnes omnino Gentes de sedibus alterius vitæ, edoctæ suis a Sacerdotibus fuere, nominibus ex analogia locorum amœnorum, vel horridorum derivatis, quod impossibile fuisset prorsus, Populo persuadere, dari improborum pœnas, & præmia proborum, nisi quæ & qualia essent, quisve earum foret locus, aliqua ratione, esto pinguiori minerva, explicatus; iccirco Elysii Campi, & Fortunatorum Insulæ, & Inferorum flumina, necessario

sario veluti inducta; quorum de Origine satis olim diximus. In præsens puriora dogmata, beneficio Numinis, Christiani contemplantur. Quiquid tamen apud mortales omnino omnes de statibus, & sedibus alterius vitæ receptum fuit, a Religione, licet interpolata, non a ratione, fluxit; uti veræ debemus Religioni quicquid nos de rebus ejusmodi concipimus.

XLIII.

ANIMADVERTENDUM autem Cl. Zanotto erat, quemnam ob finem Maupertuisius futuræ cognitionem vitæ asserendam duxerit Religioni? nempe, quo cogitatio illa tantæ virtutis foret, ut vel hominem maxima in infelicitate constitutum avocaret ab autocheiria; vel ipsius saltem futuri gaudii meditatione momenta minueret infelicitatis. Hæc omnia jam vero præstare non posset cognitio futuræ vitæ in homine nulla acto Religione. Homo quippe sola præditus ratione, etsi futuram esse vitam cogitaret, in qua virtuti præmia futura essent, supplicia peccatis; ast ne se tamen miserrimo in statu occidat; utque seipsum spe futuræ vitæ consoletur, tria adhuc certissime teneat oportet; primum quidem, autocheiriam, ejusmodi esse actum, qui multo deteriorem in conditionem futura in vita

ipsum sit ductus; deinde, Numinis voluntatem, & imperium esse, ipsum, statum illum duræ infelicitatis fortiter debere, constanterque tolerare; demum certo sibi persuadeat, se, talem ob patientiam, atque obedientiam, ita Deo acceptum fore, ut præmium altera sit in vita certissime consequuturus. In hæc autem tria quantum influere sola Ratio possit, videamus.

XLIV.

Et quod ad primum quidem adtinet, ut aliquod suppeditem ipsemet præstantissimo Viro, quo cum disputare pergo, argumentum; non ignoro quæ apud Tullium leguntur in somnium Scipionis, ubi P. Cornelius Scipio fingitur nocte quadam Carthaginem vidisse de excelso & pleno Stellarum illustri & claro quodam loco, Africanumque audivisse adserentem, certum esse in cœlo & definitum locum, ubi Beati ævo fruerentur sempiterno, vivereque eos, qui e corporum vinculis, tamquam e carcere, evolaverunt, nostram vero, quæ dicitur vita, mortem esse: quin & ad se venientem Paulum Patrem quum adspiceret, dixisse: *Quæso Pater Sanctissime, atque Optime, quoniam hæc est vita (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non est ita; (respondisse*

fingi-

fingitur Paulus) nisi enim Deus is, cujus hoc templum est, omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur; hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quos sydera & stellas vocatis: quæ rotundæ & globosæ divinis animatæ mentibus circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi, Publi, & piis omnibus, retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est: ne munus humanum assignatum a Deo diffugisse videamini. Hoc jam vero ex testimonio, hacque ex doctrina, quam ex Phædone Platonis mutuatus est Tullius; ille vero ex Pythagora hauserat, ut ex Ciceronis Libro de Senectute eruere est, inferre quis posset, naturali dignosci posse lumine, licitam non esse autocheiriam; præsertim quum Virgilius, Libro Æneidos VI. Stygiam inter paludem, & lugentes campos, tertium iis adsignet locum, qui non scelere adacti, sed miseriis pressi, mortem sibi voluntariam consciverunt.

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi,

Projecere animas ; quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem , & duros perferre labores !
Fata obstant , tristique palus innabilis unda
Alligat , & novies styx interfusa coërcet .

Quibus sane fortiora non reperio , unde Zanotti in favorem differere quis posset , præconcipientis , sola ratione duce , posse homines cognoscere , fortunam , quæcumque foret , ferendam esse , suique occisionem , ejusmodi esse actum , qui eos in deteriorem valde conditionem altero fit in Sæculo ducturus .

XLV.

Verum qui , Zanotto vindicando , ejusmodi uteretur testimoniis , dubito an ea sat serio perpendisset . Num enim ignorare posset , Virgilium toto in Poemate Religionem habere præconceptam , nec , nisi ornatus caussa , Philosophorum aliquando ad systemata adludere ; dictumque ab Sancteuremontio , Virgilianum Heroem , ad instituendum potius Monachorum Ordinem , quam ad facienda magni Imperii fundamenta idoneum ? Eadem vero ratione Tullius , in somnio Scipionis, Paulum Patrem e cœlo delapsum inducit egregias illas sententias Cornelio

Sci-

Scipioni explicantem ; probe Platonem imitatus, qui, in decimo de Republica, Armenium quemdam inducit ex Inferis reducem, qui ea, quæ apud Inferos agebantur, traderet, & doceret. Quibus quidem ex locis abest adeo, ut Rationi illa Dogmata asseramus, quin potius vel ipsi nos doceant Ethnici prudentiores, eadem, nisi a Religione, non esse expectanda. Quamvis enim ex Systemate in Atheismum Philosophi illi raperentur; ast ut communi quodam e sensu, consensuque, non semel loquebantur, heinc intelligebant, summas illas veritates altiore indiguisse lumine, quo certæ fierent, jurisque vim induerent. Notum est Aristotelem veram optavisse quæsivisseque, quam reperire non poterat, Theologiam, quamque appellabat *Desideratum suum*, ut Libro III. P. 2. animadvertit Drejerus; doctissimusque Heineccius, in Elementis Philosophiæ Rationalis, & Moralis, §. CCCIII. postquam conceptissimis scripsisset verbis, exstare oportuisse Revelationem aliquam a Deo profectam, quæ illa, ad quæ ratio cœcutit, nobis ostenderet, defectumque illum suppleret: agnovisse omnes Religiones Revelationis cujusdam necessitatem; quumque jam inde ab ipsa humani Generis origine homines illa Revelatione indiguerint, consequens esse, ut Revelatio vera & Divina debeat esse antiquissima, adeoque & ita con-

conservata, ut nec temporis, nec hominum injuriis, quidquam ceperit detrimenti: primam Revelationem in Paradiso factam esse, & per tot sæcula sapientissime conservatam; postquam hæc, inquam, ipsa scripsisset Heineccius, in Notis hunc ad locum statim etiam subjecit. *Eo minus hæc Doctrina miranda est, quo magis constat, ipsos Paganos Philosophos aliquando ita ratiocinatos. Socrates sane apud Platonem in Phædone, diu multumque de mentis immortalitate, ejusque conditione post mortem, sermocinatus, tandem hac in re cæcutire rationem agnoscit. Ex eo infert, alterutrum horum fieri debere ab homine sapiente, aut eum dicere debere, & invenire quemadmodum illa se habeant; aut, si hoc fieri nequeat, optimam ac tutissimam humanarum rationum eligere, qua, tamquam rate vectus, procellas hujus vitæ pertranseat, & hanc posteriorem viam omnino ingrediendam esse censet; nisi forte liceat istas vitæ procellas firmiore quodam vehiculo, vel* DIVINO QUODAM VERBO *tutius, ac minore cum periculo tranare. Verba aurea, & consideratu dignissima.* Hucusque magnus ille Heineccius, qui & Græca Socratis ipsa verba refert, a nobis maximo Operarum negligentiæ & inscitiæ timore omittenda. Si præceptum igitur de non perpetranda autocheiria ipsimet Gentiles Religioni asserebant, quæ nostrorum est fidentia illud tribuere Rationi?

XLVI.

XLVI.

NEC tamen heic Animadverſionum finis. Paulus enim ille, qui a Tullio loquens inducitur, non de iis ſermonem habet, qui anguſtiis & infelicitate maxima oppreſſi, ipſos ſe occidendos ſtatuebant; ſed de iis ſolum, qui, pulchritudine acti beatarum ſedium cæleſtium, illuc, nondum a Deo vocati, properare cogitarent. Ignoramus autem quid Paulus dicturus Scipioni Publio fuiſſet, ſi ipſum maximis conſtitutum in anguſtiis intellexiſſet. Vel enim ipſæ diuturnæ & maximæ anguſtiæ pro Divina voluntariam ad mortem invitatione interpretari potuiſſent. Qui enim Religione caret autocheiriam prohibente, negat fas non eſſe captivo a duriſſimis ſe ſubripere catenis; ſperatque Judicem fortaſſe futurum, altera in vita, naturæ amicum & benevolum Parentem, non puniturum eos qui ab intolerabilibus ſe liberaverint infortuniis. Cur enim illo in ſtatu; illisque in circumſtantiis non fuerit mors ipſa bonum a voluntate pene naturaliter optandum? Quam egregie Divus Auguſtinus, Libro III. de Libero Arbitrio Capite VIII. *Neque enim moveri nos oportet eorum judicio, qui urgente miſeria ſe ſe interemerunt. Aut enim eo confugerunt, ubi melius fore ſibi putarunt; aut ſi nullos ſe futuros omnino crediderunt, multo minus falſa electio ni-*

hil

hil eligentium commovebit. Veruntamen ut de hac tota re, si potero dicam quod sentio. Nemo mihi videtur, cum seipsum necat, aut quolibet modo emori cupit, habere in sensu, quod post mortem non sit futurus, tametsi aliquantum hoc in opinione habeat. Nam opinio aut in errore, aut in veritate ratiocinantis est, vel credentis: sensus autem aut consuetudine, aut natura valet. Posse autem fieri ut aliud sit in opinione, aliud in sensu, vel ex hoc cognoscere facile est, quod plerumque aliud faciendum esse credimus, & aliud facere delectat. Et aliquando veracior est sensus quam opinio, si illa de errore, ille de natura est .... Solet autem & recta opinio pravam corrigere consuetudinem, & prava opinio rectam depravare naturam: tanta vis est in dominatu & principatu rationis. Cum ergo quisque credens, quod post mortem non erit, intolerabilibus tamen molestiis ad totam cupiditatem mortis impellitur, & decernit atque arripit mortem, in opinione habet errorem omnimodæ defectionis, in sensu autem naturale desiderium quietis. Quod autem quietum est, non est nihil; imo etiam magis est quam id quod inquietum est. Inquietudo enim variat affectiones, ut altera alteram perimat; quies autem habet constantiam, in qua maxime intelligitur, quod dicitur, EST. Omnis itaque ille appetitus in voluntate mortis, non ut qui moritur non sit,

sed

ſed ut requieſcat intenditur. Ita cum errore credat non ſe futurum, natura tamen quietus eſſe, hoc eſt, magis eſſe deſiderat. Quæ adverſus Sophiſtas illos a Sancto Patre dicta ſunt, qui mortem, ideſt nihil, non poſſe eſſe arbitrii objectum tuebantur. Pene igitur naturaliter poteſt homo aliquando extremis conſtitutus in anguſtiis ruere in mortem? Nonne Stoici (pulcherrimæ noſtri Adverſarii deliciæ) qui nec naturali ſane lumine, nec philoſophico carebant ratiocinio, malum quidem eſſe fatebantur in anguſtiis & neceſſitate vivere; ſed in anguſtiis & neceſſitate vivere neceſſitatem nullam eſſe ſubjiciebant: patere undique ad libertatem vias multas, breves, faciles; maximas imo Cælitibus agendas grates, quod nemo in vita teneri poſſit invitus; ideoque, poſſe volentem mori, maximum eſſe Numinum ipſorum beneficium, ut ex Senecæ Epiſtolis palam eſt? ſed Stoicorum de mente & Doctrina relate ad mortem voluntariam ſuo loco diſſeremus. Interim conſtare arbitror, Philoſophorum ſententiam aliquorum, de retinendo animo in cuſtodia corporis; nec injuſſu ejus, a quo ille eſt nobis datus, ex hominum vita migrandum eſſe, ne munus humanum a Deo aſſignatum diffugiſſe videamur, non eſſe confundendam cum opinione, quam quis imaginari, & efformare ſibi poſſet, hominis in ſtatu, maximis & diuturnis in angu-

ftiis conftituti. Quod enim humanum munus homini hujusmodi (fi fine Religione fit) poteft Deus affignare? Quod munus poffumus ipfi a Deo conftitutum præconcipere? Quare nec ipfum Virgilium, eos, qui fe, miferiis preffi, occidiffe finguntur, fceleratorum in fedes videmus conjeciffe, in Tartarum videlicet, ubi Phlegethon, Tifiphone, Gnoffius, & Rhadamantus; fed Inferorum modo ad fauces, & circa ftygiam paludem, ubi illorum animæ Infantium,

Quos dulcis vitæ exfortes, & ab ubere raptos
Abftulit atra dies, & funere merfit acerbo;

ubi & illi, qui falfo crimine damnati capite fupplicium luerant; clarique Duces, qui bello periere; apertiffimum indicium, non adeo fontes ab illo Vate habitos, qui amoris, vel anguftiarum impatientia, violentas fibi manus confciviffe credebantur.

XLVII.

Etsi eos vero Nos non effe diximus, qui vel carentem omni Religione hominem, illum modo ob infelicitatis gradum, de quo ait Maupertuifius, voluntariam fi in mortem rueret, commiferaremur; vel enim maximis in anguftiis humana docere videtur Ratio, poffe rerum vices in melius mutari. Verum, ut miferrimus adhuc

adhuc tamen præconcipi ſtatus poteſt ipſa morte, ut videretur aliquibus, deterior; vitioque Generis humani ſcelus ipſum ita faciem induit virtutis, ut ab homine paſſionibus, & præjudiciis acto dignoſci vix poſſit; vitia ſiquidem nos ſæpenumero decipiunt, ſub ſpecie umbraque virtutum; imo per ipſas aliquando virtutum vias in vitia delabimur, ut quum de humilitate ipſa capimus ſuperbiam; multæ virtutes in vitia degenerant, &, quod magis eſt, ſæpe videas eoſdem affectus, pro temporum ſorte, nunc virtutes eſſe, nunc vitia; tunc vero dicimus, ſolius ope Religionis poſſe a ſui occiſione hominem averti. Ut enim Stoicis, ita ceteris æque miſerrimis Mortalibus, cur arduæ imo virtutis opus videri non poſſet ipſum mori? Da mihi nobili genere ortum Virum, ſuis non modo privatum filiis & rebus, cateniſque cinctum, ſed infami etiam ſupplicio, Tyranni, aut Judicis imperio, perimendum. Nonne æqua Ratio videretur illi jure ſuadere, infamem mortem morte voluntaria eſſe præveniendam? Quis Deus, ſola humana Ratione conſulta, punire ipſum deberet, quod certo & neceſſario moriturus, honori ſaltem conſuluiſſet ſuo? Nonne huic vindicando in ſingulare ruunt certamen, qui tot Divinis humaniſque Legibus, & pœnis, ejuſmodi facinore interdicuntur? Atrox illa certe peſti-

lensque lues tantum Christiani etiam cruoris exhausit, ut non plura Gladiatorium paria olim Romanorum arena conspexit. Usu autem famaque populari adeo invaluerat tam detestabilis insania, quod illi vitio ex virtute semen esse videretur. Ut enim olim monebamus, etsi conceptu difficile videatur, quanam ratione depravatio consuetudinum, opinionumque varietas, ita potuerit animum flectere, ut in mores descenderit justitiæ honestatique repugnantes; facile id intelligimus tamen, si animadvertimus, quantum erroris creare aliquando soleat similitudo. Virtus enim atque justitia, tametsi illis solum reperiatur in actibus, qui illud modo, quod suapte natura rectum, justum, honestumque est, ordinate respiciunt: vitio contra adfectæ, injustæque sint actiones illæ solum, quæ ordini honestatique adversantur: virtute adhuc tamen, eas etiam existimavere homines, quæ juxta sunt legem opinionis, vitiosasque dixere actiones consuetudini aliquando repugnantes. Quum enim in vita civili actus opinionis legibus consoni, honore & laude digni censeantur, contra vero contemptu & vituperio, qui civili adversantur consuetudini: quumque laus virtutem perpetuo sequatur comes, vitium contemptus; heinc ob honestatis & gloriæ similitudinem, ideam laudabilis, ut ita dicam, actus,

cum idea actus vera virtute præditi, ideamque vitio adfecti, cum idea contemptibilis confundere perrexerunt; honestumque demum credidere, quod consuetudini, & legibus erat consonum opinionis. Sola igitur Religionis meditatione poterit maxime infelix, sui ab occisione avocari, soloque Religionis Præcepto ipsi denunciato, cujus tantum imperio detrectans timere potest, deteriorem se in statum lapsurum. Debet siquidem actus ejusmodi necessario præconcipi illa sub comminatione a Lege interdictus; talem autem Legem ponere, nil aliud est, quam ponere Religionem, miserrimum hominem illo a facinore avertentem.

XLVIII.

UT miserrimus autem homo necessitatem ipsam valeat constanter tolerare, necesse est, ipse sibi certo persuadeat, voluntatem, imperiumque summi Legumlatoris esse, ut in infelici illo statu perseveret, donec Numinis ipsius beneficio vel ab angustiis, vel a misera illa vita, tandem liberetur. Id autem sola ut humana Ratione callere posset, humana æque Ratione ipsum callere oporteret naturam & originem malorum, eorumque Divinis cum adtributis nexum; & quare tandem justissimus sapientissimus-

que

que Deus in illo miserrimo veluti Creaturæ suæ statu delectetur. Humana autem solum Ratione, ut ipsis utar Origenis verbis, Libro contra Celsum IV. *ajo, ne Philosopho quidem Viro pervium esse malorum originem cognoscere; fortasse etiam nullo modo potest, nisi Deo aspirante discat, intelligatque, & quid mala sint, & quomodo orta fuerint, & quonam modo toleranda sint.* Et de origine quidem si loquimur malorum, eorumque permissione & natura, num putas eum libenter patienterque toleraturum infortunia perpetua & teterrima, qui mente versaret Leibnitiana tantum, aut Wolfiana, aut hisce prope similia Veterum, Recentiorumque de origine & permissione malorum argumenta? Num hominis animum angoribus extremis laborantem putas futurum ut sedaret Senecæ illa Oratio: *Cum videris bonos Viros, acceptosque Diis laborare, sudare, per arduum ascendere; malos autem lascivire & voluptatibus fluere; cogita nos filiorum modestia delectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam?* Sic enim ille in Libro de Providentia. Num, inquam, nugis hisce putas sedaretur homo in angustiis & tormentis constitutus? Quin potius omnia malo contigisse fato responderet; illaque Cogitata, hominum esse otio abutentium deliramenta. Quid enim diu calamitatibus actus,
per-

perpetuiſque circumcluſus miſeriis, alicujus hominis animus, quid, inquam, eximium revera & egregium cogitare aut ſuſpicere unquam poteſt? quid illo infeliciſſimo in ſtatu, nulla præconcepta Divinorum Decretorum Traditione, imaginari apud Superos poteſt humanum & clemens, & erga vota & deſideria humana beneficum & liberale? Mirum profecto, ne ſe ſe tunc impotens abjiciat hominum natura, extremaque deſperatione veluti perculſa, humi jaceat, & odiſſe ſe & Auctorem ſuum denique incipiat. Si enim, ut animadvertit Origenes, Libro contra Celſum primo, tot Mortales, ob ea quæ ceteris hac ſolent in vita probis & improbis contingere, lapſi in Epicureiſmum ſunt, quid de illis cogitandum, qui non aliena, ſed ſua ſibi objicere coguntur mala & infortunia? Veteres profecto, recentioreſque Atheos, anguſtiis potius, & ſiniſtra nimium fortuna; quam argumentis actos, libertatem & Providentiam Numinis inficiatos eſſe alibi oſtendimus; habet enim generoſitatem quandam humanus animus, qua magis ducitur, quam trahitur; habetque humana mens neſcio quid ſublime & altum impatiens ſuperioris, niſi delectatione cujusdam reverentiæ, & illecebra altioris conditionis, aut ſpe ſaltem felicioris ſtatus, & novarum expectatione rerum, leniatur.

XLIX.

XLIX.

Quis revera hominum fatebitur, fontem adeo esse se, & sceleribus onustum, ut maximas æternasque angustias hac pati in vita mereatur? Aut saltem, cur alios æque sontes, æque infelices quoque non intelligat; sed ex opposito, indigniores prospere agere, vitaque, sibi ut videtur, secunda & beata frui? Ex carentia autem moralis hoc in rerum statu ordinis, moralis inferre futuritionem ordinis altera in vita, humanus intellectus verisimili aliqua ratione, sine Religione quidem potest, certa tamen & tutissima non potest. Qui enim rerum Auctor ordinem moralem altera amare, velle, & exequi, in vita præconcipitur, cur in hodierna idem etiam non debet, plurimaque sine ordine sciens & volens finit? Certe, qui Religione caret, & carentiæ illius ordinis effectus periri se imaginatur, illa in dubitatione veluti hæreat oportet. Verum contra, qui Religione aliqua tenetur, versari se in communibus vitæ miseriis, & specialibus angustiis novit, non necessitate Naturæ, Auctorisque rerum infirmitate, & invidia; sed exstrinseca de caussa, & ratione justæ pœnæ & justitiæ; censetque omnia Naturæ, quæque præsertim patitur vitæ durissima tormenta, debita

esse

esse humano Generi supplicia, quod a supremo illo Rege & Conditore suo turpissime defecerit, & a prima olim aversum Lege, ad impetus se converterit animi non ordinatos. Ingrata nempe hominum Natura, munus illud suave quondam adeo humanæ Libertatis suum vertit in Muneratorem Deum; quo factum, ut homo, adversus Naturam operatus suam, dissidium induxerit non solum inter Legem mentis & Legem corporis, sed in harmonia æque totius Universi. Fuit hoc autem, estque in præsens, veræ antiquissimæ Religionis Caput, naturæ & origini malorum explicandæ; sed æque receptum olim, perpetuo, certoque, reperitur quacumque in Religione, vel a vera longe dissita, quæ, aliorum sub involucro verborum & factorum, errorumque aliquorum additamentis, eamdem est tamen præterpropter sententiam, aut saltem illius imaginem sententiæ, professa. Post vulgatissimas enim Scaligeri, Seldeni, Salmasii, Casauboni, Scotii, Vossii, Spenceri, Bocharti, Usserii, Marshami, Pfanneri, Wormii, Blanchini, sexcentorumque aliorum Ethnica de Theologia pertractantium Elucubrationes, ea de re adhuc dubitare, idem sane foret, atque nullarum se Litterarum, nullius expertem se humanitatis profiteri. Vel solus Daniel Huetius Libro de Concordia Rationis & Fidei adsensum posset vel ab invitissimo

extorquere. Verum, ut jam olim animadvertimus, omnes longe superavit celebris Lafitavius, qui, post diuturnum Antiquitatis studium, Americanas in regiones profectus, Americanorumque Religionem & mores serio meditatus, in opere demum, in quo diligentissime de illis pertractavit, evidentissime ostendit, locorum distantias revera analogicas esse distantiis temporum; ideoque regionum caussa ita a nobis Americanos distare, uti veteres Idololatræ ratione temporum; quare, uti specie potius, exque additamentis tantum, Americani quod ad summa pertinet Naturalis Religionis Capita, in diversas a nobis abeunt sententias, reipsa tamen admodum conveniunt; ita & idem esse de Idololatris veteribus dicendum. In Religione siquidem Americanorum non ideam modo Dei contemplativam invenisse se ait, nec moralem modo, verum etiam ideam, ut ipse appellat, Theologicam; neque aras modo, & Templa, Lucosque; sed & Historiam Creationis mundi propagatam, uti & diluvii, primique hominis, nec non fallacis historiam serpentis, mulierisque, quæ universum infecit genus humanum; cetera demum, quæ ad originem mali cum physici, tum etiam moralis explicandam, pro systemate veræ antiquissimæque, imo primæ Traditionis idonea sunt & necessaria; tametsi elongatione temporum imm-

muta-

mutata veluti, & explicandi modo interpolata; quare evidentissimis denique veterum Scriptorum testimoniis, cum rebus illis, quas oculis ipse suis viderat, collatis, rectissime consequutus est, summas illas, aliquibus licet immixtas additamentis, veritates ab universo humano Genere, malorum origini cognoscendæ, leniendæque infelicitati hujus vitæ, fuisse usurpatas. Natura autem, origo, & permissio malorum ita solum explicata hominem vel in extremis animi corporisque angustiis constitutum ab Auctoris, Naturæque, & vitæ suæ odio potest avocare, ipsisque in angustiis constanter retinere. Religionis tunc enim vocem audiens, quæ pœnas hac in vita toleratas commissas luere docet sordes, pœnasque minuere Sæculi futuri, se tunc justissimæ voluntati Numinis, si non prorsus hilari, patienti tamen animo accommodat; adeoque jure post tenebras lucem sperat, exactaque tempestate meritum serenum, & futuri meditatione gaudii in angustiis permanens, & perseverans, infelicitatis adhuc suæ momenta saltem minuit, si perfectam inducere non potest in animum tranquillitatem.

L.

QUONAM pacto tamen futuræ expectatio vitæ minuere momenta infelicitatis poteſt, niſi certe homo ſperet, beatum ſe ſtatum altero in ſæculum conſequuturum? Num quod fortiter ſolum conſtanterque præſentis mala vitæ ſuſtinuerit, ut Cl. Zanottus arbitratur? Verum quis illi tam beatam ſpem ſpopondit? Idea Juſtitiæ Divinæ, ait Adverſarius. Verum hæc ipſamet Divinæ Juſtitiæ idea humanam monet Rationem, nullam conſequuturam ſe beatum altera in vita ſtatum, niſi fuerit integra vitæ ſceleriſque pura. Verum, qui concipi umquam poteſt, hominem omni Religione carentem, integrum eſſe vitæ, ſceleriſque purum? Eſſet hoc certe phænomenon, quod nulla adhuc vidit ætas, æternumque non videbit; ſi enim vix aliquis ejusmodi, inter homines recenſetur Religioni addictiſſimos; quo fundamento talem imaginabimur eſſe poſſe hominem ſolo Rationis humanæ lumine illuſtratum? Statim atque vero contra Rationem graviter ſe quicumque homo peccaſſe intelligit, & animadvertit, niſi certo Religionis decreto venia ſibi promittatur, vel ſi infinitas & inexcogitabiles fortiter conſtanterque toleraret hac in vita miſerias, & anguſtias, animum

tamen non posset lenire suum spe tuta alicujus præmii Seculi futuri. An Deum existimas omnem a te turbati ordinis memoriam, salva Sanctitate sua, deponere statim posse, aut factum infectum etiam præstare? At vero ejusmodi in Deo esse voluntatem, unde, absque Religionis revelatione, poteris cognoscere? Humana id profecto Ratio numquam valebit reperire; quum sola hæc Religionis prærogativa reapse sit, unde tollatur, eradicetur, & deleatur ita denique peccatum, ut possit quod admissum est, fieri infectum. Namque ut post factum animadvertas, actibusque, & habitibus oppositis emendare satagas peccatum; facies ea quidem agendi ratione, ne mala malis iterum accumules, utque aliqua quasi in herba prius illud suffoces; numquam præstabis tamen, ut quod semel commissum est, revera sit infectum. Scilicet hic ille labyrinthus, est, ubi Ratio, & etiam Philosophia, cultorem destituit suum, atque ad sublimius aliquod remedium postulandum duntaxat, acceptandumque, quoad potest, homines disponit. Nisi enim illud adsit, qui omnino integer vitæ scelerisque purus non est, pereat oportet; quippe contra Rationem, injustumque esse non concipitur, ut patiatur quisque quæ meruerit. An autem hujusce vitæ angustiæ Divinam lenire valeant justitiam quis tibi certo spondet?

Nec

Nec ex placata ſolum Divina juſtitia ſequitur felices nos in vita altera futuros, quum quæcumque circa hominum felicitatem ſola Ratio humana comminiſcitur, non ſint niſi conjecturæ frivolæ, & quid Gloriæ Divinæ dignum ſit, ſola nos docere valeat Divina Sapientia; illa quippe omnia, quæ non ex ipſa rerum natura effluunt, ſed, ſive eſſentiam eorum, ſive modum conſideremus, ex libero æterni Numinis conſilio, & ſuprema voluntate, originem habent ſuam, ejus ſunt conditionis, ut ea quidem veriſimili quadam ſagacitate divinari ſimulemus; aſt ſat certo intelligere, cognoſcere, & tenere, numquam, ſine Religione, valeamus. Hoc igitur univerſum Juſtificationis peccatorum genus a divina pendet promiſſione, adeoque a denunciata divina voluntate; hocque veniæ peccatorum Caput tantæ neceſſitatis nonnullis Chriſtianis Patribus viſum eſt, ut in eo præcipue notam veræ Religionis collocarent, ut apud Lactantium videre eſt poſteriore capite Libri Divinarum Inſtitutionum quarti; quamvis hac etiam in re a falſa Religione veram fuiſſe ſimulatam conſtet, Ethnicosque omnes, ſuis in Sacris, ritus & precationes expiationum habuiſſe, unde æſtimatione & promiſſione veluti Divina factum infectum fieri autumarent; quod infinitis de Religione Gentilium Commentariis palam eſt. Illa autem

in persuasione, homo, summis in angustiis constitutus, dolorem certe lenire potest suum, spe & imagine gaudiorum futuræ vitæ; quod nunquam præstare sola posset humana Ratio, an veniam admissi semel sceleris obtinuerit, incerta. Reapse quomodo se quis consoletur expectatione divini beneficii, nisi certitudinem habeat beneficæ ejus voluntatis? Quo fundamento ex tot malis hujus vitæ, bona inferre poterit alterius? Facti ne argumenta pendebunt ab opinionibus contemplativis, aut potius hæ pendeant oportet a facti argumentis? An acquiescemus in *Ratione sufficienti* Leibnitiana, & Wolfiana, & a cerebro duorum Septentrionalium hominum veritas suum tandem consequetur fundamentum? An præmium sperabimus, quod quale futurum sit Ratio sola non suppeditat? Nam si immaterialis est anima, quo nam poterit sensibili gaudio affici? Si materialis; quomodo immortalis? Animam imaginari corpoream, & adhuc æternam tamen, ceu indivisibilem monadem, & poris carentem, quid aliud quam nullo fulta præsidio opinio? Quare incertum erit quidquid sine Religionis lumine de futura concipiemus vita; ambiguum, obscurum. Patet igitur nullius esse consolationis posse futuri expectationem Sæculi in unico Rationis lumine fundatam; quum tametsi illud futuram esse vitam certo

etiam

etiam persuadere sibi posse imaginemur; ejus ope sola tamen, & absque superiori Religionis luce, aliquam non habere possit homo sat sibi constitutam diversorum futuræ vitæ statuum notionem; neque angustias lenire valeat, seque expectatione illa consolari, nisi a Religione doceatur, voluntatem & imperium summi esse Numinis, ut fortiter ipse constanterque in meritis miseriis agat; seque ab eisdem voluntaria morte subducentem, actum præstare ejusmodi, qui ipsum deteriorem in conditionem sit denique ducturus; veniam denique cujuscumque commissi obtinuisse sceleris, quo beatum altera in vita ad statum possit pervenire.

LI.

SED jam descendamus oportet ad Collationem moralis Stoicorum Philosophiæ cum Philosophia morali Christianorum, ut pateat quam recte Maupertuisius relate ad hujus vitæ societatem & felicitatem, palmam tribuerit posteriori. Quam autem oppositæ sint ejusmodi Philosophiæ, impervium non fuit Maupertuisio demonstrare. Inter ipsos enim primum Stoicos Deorum de existentia & Providentia, animorumque immortalitate, non satis conveniebat; illas imo veritates, diversosque vitæ futuræ sta-
tus

tus proprie Stoici negabant; quare in eorum actus, Deorum & futuræ vitæ opinio minime influebat. Erant illi fato inevitabili addicti, felicitatemque hujus solum vitæ, virtutis auxilio & medio, quærebant; vitæ autem infelicitatem morte auferre dicebantur. Moralis ex opposito Christianorum Philosophia docet, Deum certo esse, ipsumque æternum, immortalem, & liberum, justum æque & liberalem, omnipotentem, & providentem, omnia pro imperio suo & voluntate decernentem, ipsumque rerum omnium factorem, laudibus & honore prosequendum. Homines vero animos sortitos esse immortales, & post fata superstites; ipsosque misera aliquando in conditione esse, non necessitate Naturæ; aut imbecillitate Factoris, sed exstrinseca omnino de caussa, & ratione justitiæ; virtuti præmium, supplicia certissime respondere vitiis atque peccatis; lento aliquando gradu Divinam procedere iram, tarditatem tamen supplicii gravitate pensare; Deo igitur parendum, ab eo sive bona, sive mala hilari semper animo acceptanda; mitigari ipsum obedientia nostra, & patientia; mitigari amore non modo erga ipsum, sed etiam amore & auxilio ceterorum hominum, quos a nobis diligi præcepit; nec hujus vitæ felicitatem flagitiis quærendam, aut morte infelicitati finem imponendum, sed beatas alterius

O vitæ

vitæ reſpiciendas ſedes , Numinis promiſſione , parituris concedendas . Hæc moralis eſt Chriſtianorum Philoſophia, illa Stoicorum . Non arbitror autem tenebris lucem, noctique adeo oppoſitum eſſe meridiem, ut earum una alteri oppoſita eſt , & contraria . Illa deſperationem adfert, hæc conſolationem; ad mortem illa impellit, hæc in vita retinet ; illa infelicitatem vitæ imminuere non novit niſi privatione vitæ, hæc infelicia imminuit momenta ſpe ſortis feliciſſimæ; in illa felicitatem tantum ſuam homo quærit , in hac felicitatem homo ſuam invenit in felicitate reliquorum; illa Societati demum adverſatur, hæc ſocietatem fovet , & optatam inducit in animum tranquillitatem.

LII.

Quid contra hæc tam certa, tam conſtituta, tam evidentia Cl. Zanottus? Fatetur ſe tam amplam intelligere non poſſe duo illa inter ſyſtemata oppoſitionem . Capite ſiquidem ſuarum Animadverſionum V. notare pergit Maupertuiſium, quod Philoſophiæ moralis Stoicorum conſpectum efformaturus, non animadverterit , ipſos id ſpeciale & proprium habuiſſe, ut felicitatem in virtute collocarent . Verum cur id animadvertiſſet Maupertuiſius , qui toto in Opere de au-

augenda felicitate, aut infelicitate formali imminuenda sermonem habet, non de felicitate Objectiva, pro variis Philosophorum sententiis, diversisque hominum desideriis, varia perpetuo, & diversa? Verum relate ad præcipuum systematis totius Caput quid eodem in loco disserat præstantissimus Zanottus videamus. *Nil mirum*, inquit p. 276. *Stoicos adeo convenisse in regula actionum & morum, quum nil tamen certi Divina de existentia & providentia, immortalitateque animorum statuissent. In morum siquidem regulis figendis nil respiciebant aliud, quam immutabilem quamdam sempiternamque honestatem, quæ se se, auctoritate & imperio, eorum oculis objecerat, imperabatque nulla Deorum habita ratione, nec ob præmii spem, aut metum pœnæ, sed suum ipsa ob pretium obediri cupiebat .... Honestatem illam igitur Stoici sequuti, finemque hominis in ipsa collocantes, non indigebant allegatis Dogmatibus, quæ speciosa quidem videri ipsis poterant, videri autem necessaria non poterant. Qua equidem in re, non adeo ipsos, ut aliqui imaginantur, a Christianorum systemate absfuisse arbitramur. Quid enim aliud, honestas æterna immutabilis & necessaria, nisi Deus ipse quem Christiani venerantur? Illum quidem Stoici non agnoscebant, quia solum sempiterna de honestate cogitabant, non animadvertentes eamdem, intelligentem æque esse,*

creatricem omnium rerum, perfectissimam, beatam & omnino liberam; si ita quippe eam præconcepissent, ceu Deum adorassent; de quo ignoro an questi fuissent Christiani. Verum quum non aliud adtributum illa in honestate se videre viderentur, nisi auctoritatem quamdam & imperium, sequuti ipsam adhuc sunt, licet ceteris ejus de perfectionibus minime solliciti; eoque pacto ignoratum sequuti sunt Deum; quum ex opposito Deum sequi se intelligentes Christiani, eidem ita cognito obediant. Heinc, Capite Animadversionum sexto, ejusmodi ex honestatis auctoritate & imperio, ortas Zanottus ait ceteras Stoicorum virtutes; sique tranquillitatem animi indipiscitur Christianus quærendo Deum, non videre se subjicit, pag. 282. cur tranquillitatem indipisci non possit æque Stoicus quærendo honestatem. *Christianos demum testari*, ait, *ita esse se affectos, ut absque præmiorum etiam spe, & pœnæ metu, bene adhuc ordinateque operarentur; nec illis indigere mediis, virtutem ut sequantur; tuncque se solum perfectos ducere Christianos, quum ita sunt affecti.* Quibus hoc, ut arbitratur, modo constitutis, ignorare se consequitur, cur Stoicos debeant Christiani irridere; Stoicos, inquam, honestatis illius Sectatores, cujus solius ope bene ordinateque agerent Christiani, si præmii spe, & suppliciorum formidine carerent. Est

hæc summa eorum, quibus dum, Stoicorum doctrina, tranquillitatem obtineri posse animi ostendere se credit; manifestat ex opposito, Vir hic cetera doctissimus, homini Religionem, hypotheseos solum etiam gratia, omittenti, aliqua excidere nativæ vi virtutique suæ mentis non omnino convenientia.

LIII.

PRIMUM jam vero rogo, cur oppositas neget duas ejusmodi Philosophias Zanottus? Num Philosophia, in qua Deus, ceu Doctrinæ caput, proponitur cognoscendus, & amandus, opposita Philosophiæ illi non est, in qua nec amandus proponitur Deus, neque cognoscendus? Num Philosophia in qua, ceu alterum Doctrinæ caput, proponitur certo tenenda animorum immortalitas, opposita Philosophiæ illi non est, quæ futura de vita nihil est sollicita, imo ipsam inficiatur? Num Philosophia, in qua proponuntur inconspicua præmia virtutibus, pœnæ inconspicuæ peccatis, opposita Philosophiæ illi non est, in qua nulla proponuntur virtutibus præmia, nulla supplicia peccatis? Num denique Philosophia, quæ docet hominem suam habere libertatem, eaque posse se consolari libertate, bonis scilicet operibus, & expectatione gaudii

futu-

futuri; num, inquam, Philosophia ejusmodi, illi opposita non est, quæ omnia statuit regi fato inevitabili, nec aliam minuendæ infelicitatis monstrat viam, quam sui occisionem? Numquam crederetur certe hac de oppositione dubitatum, nisi Animadversiones hoc dubium præferentes, editæ, & in Vulgus sparsæ etiam fuissent. Apertissime igitur ut pateat quantum Philosophia morali Stoicorum Religio Christiana præstet in infelicitate præsertim hujus vitæ minuenda (qui fuit Maupertuisiani Speciminis, estque nostrarum Vindiciarum scopus) duo sunt in examen revocanda; primum scilicet, an prætermissis principiis, quæ Stoici omittebant, natura scilicet Divina, & futura vita, dari possit ordinata Societas, ab illa solum pendens sempiterna & immutabili Stoicorum honestate? Certissimum enim est, maximam felicitatis hominis hac in vita partem ab ordine pendere ejus, in qua est, Societatis. Alterum, an admissa etiam, absque illis principiis, ordinata Societate, sola meditatio sempiternæ illius immutabilisque Stoicorum honestatis hominem valeat hac in vita consolari? Quippe, si necessaria sunt Religionis Capita Societati continendæ, & inepta sit honestas illa immutabilis & sempiterna ad infelicitatem vitæ præsertim minuendam (quod nos fuse demonstrabimus) consequens jam erit,
riden-

ridendam omnino eſſe moralem Stoicorum Philoſophiam, contemnendamque ab illis omnibus, qui vel leviſſimam imaginem habent Philoſophiæ moralis Chriſtianorum.

LIV.

Et de prima quidem quæſtione ut loquamur, audire placet Tullium, ubi Legumlatorem agit, Libro ſcilicet de Legibus ſecundo, oſtendentem, ordinatam præconcipi non poſſe Societatem, ſine perſuaſione Divinitatis, ut ita dixerim, cujusdam, atque Providentiæ: Ita ille vero: *Sit igitur hoc a principio perſuaſum Civibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos, æque quæ gerantur, eorum geri vi, ditione, ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat Religiones, intueri; piorumque & impiorum habere rationem. His enim rebus imbutæ mentes, haud ſane abhorrebunt ab utili, & a vera ſententia. Utiles eſſe autem opiniones has quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur jurejurando? quantæ ſalutis ſint fœderum religiones? quam multos divini ſupplicii metus a ſcelere revocavit? quamque ſancta ſit ſocietas Civium inter ipſos, Diis immortalibus interpoſitis, tum Judicibus, tum teſti-*

testibus? Hoc autem Legum omnium esse procemium subdit Tullius, qui, priore Legum Libro, eorum errorem oppugnans, qui Divinam negabant Providentiam, jam enim, inquiebat, eorum si vera est sententia, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ Religio? hæc enim pure & caste tribuenda Deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid a Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii neque possint nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animadvertunt, nec est quod ab his ad hominum vitam permanare possit, quid est quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictæ simulationis, sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitatem & Religionem tolli necesse est: quibus sublatis, perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus tollatur. Hæc ille egregie, si non de Diis, sed verius de Deo loquutus fuisset; in eo æque peccans, ut sublata cælesti Providentia, auferri quoque humanum erga genus Divinam gratiam & beneficentiam ostendat, Divinam tamen Justitiam nullus memoret, hominibus in officio continendis adeo necessariam;

ordo

ordo enim esse nullus videtur constanter posse, ubi nullus metus est. Quare verissime Solon duabus maxime rebus Respublicas contineri dicebat, præmio scilicet & pœna. Reapse non magis compellerentur in vitia mortales, quod nulli Deo se esse curæ existimarent, quam si nullum Vindicem scelerum paverent. Quid enim, inquit Lactantius, Libro de Ira Dei, quid homine erit truculentius, quid immitius; si demto metu superiore, nulloque cupiditates nostras compellente Deo, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se Societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor aufertur, si fuerit homini persuasum, quod iræ sit expers Deus; quem moveri ac indignari, cum injusta fiunt, non modo communis utilitas, sed etiam Ratio ipsa persuadet. Ita ille. Jam vero si felix nullo modo esse homo potest, nisi constitutus sit in aliqua ordinata Societate; nec potest etiam concipi Societas ordinata, sine persuasione Divinæ Naturæ, ejusque Providentiæ; quum Philosophia moralis Stoicorum hoc tam necessarium tamen Caput aut prætermitteret, aut negaret, non erat ipsa igitur idonea ad Societatem continendam, ideoque nec ad hominum felicitatem conservandam, aut eorum infelicitatem in angustiis minuendam.

P LV.

LV.

Verum Stoici, inquit eorum Vindex Cl. Zanottus, illam sequebantur sempiternam & incommutabilem honestatem, e qua virtutes omnes ad Societatem felicitatemque hominum pertinentes oriebantur. Itaque aliis non indigebant Capitibus, & principiis, quibus perfectissimam constituere potuissent Societatem. Ast id quam verisimile non sit, nemo, opinor, non intelligit. Fatetur ipsemet Zanottus, Heroas illos suos in illo sempiternæ & immutabilis honestatis imaginario idolo, non aliud cognovisse adtributum, quam auctoritatem quandam & imperium, solamque honestatem illam animo versantes, nil ejus de intelligentia, & omnipotentia cogitasse, nil de perfectissima ejus libertate, ceterisque aliis de adtributis, quæ Deum proprie constituunt. Auctoritas illa igitur honestatis ulla erat sine vi, imperium sine potestate; adtributa erant tantum contemplativa, & abstracta; non practica, & efficacia; quum hominum nemo aliquid sibi posset ab honestate illa sempiterna & incommutabili timere; nec in idea ejus, aliquid omnia circumspicientis Judicis, & scelerum Vindicis, fulgeret, aut aliquid, quod Societatis & Legis Naturalis Osores jure & merito

pave-

paverent. Non ſat igitur ſempiterna illa & immutabili honeſtate proviſum ordini fuiſſet Societatis, adeoque ipſi etiam Societati, quæ Vindicem poſtulat ſuarum Legum intelligentem, liberum, volentem, videntemque, & omnia potentem; non imperium illud, quod, etiamſi illi non pareas & acquieſcas, ſuam numquam novit tamen vindicare auctoritatem. Si enim ſempiterna illa & immutabilis honeſtas ſontes plectere & punire perrexiſſet, alterum certe Stoici fateri debuiſſent Sæculum; quum hac id in vita aliquando minime evenire intelligamus. Nil tale Stoici admiſere; itaque contemplativa mere erat, & ſine viribus poteſtas illius honeſtatis, adeoque minime capax ad ordinem regendum conſervandumque Societatis, a quo non minimum pendet hominum felicitas.

LVI.

NON intelligit vero heic quisque, Stoicos de ſempiterna illa & immutabili honeſtate diſſerentes, mere declamaſſe? Quid enim ſempiterna ejusmodi & immutabilis eſſentia, ſine intelligentia tamen, ſine voluntate, ſine libertate? Quid honeſtatis imperium & auctoritas ſine vi, ſine poteſtate, ſine Lictoribus, ſpe ſcilicet & metu, ſine effectibus, præmio ſcilicet & pœna?

Sic homines illi de Natura æque Deorum, de Lege Naturæ, de hominum sorte loquentes, insanorum more, semper declamabant. Habemus enim confitentes reos. *Non potest*, inquiebat Seneca, *grande aliquid supra ceteros loqui nisi mota mens. Quum vulgaria & solita contempserit, instinctuque sacro surrexerit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali; nec potest sublime quicquam, & in arduo positum, contingere quamdiu apud se est. Decidat oportet a solito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat suum, eoque feratur, quo per se timuisset ascendere.* Nempe, si quid intelligo, ut grande aliquid & arcanum proferrent Stoici, oportebat prius eos delirare. Quod si exacto jam ejusmodi abstractionum imperio, & regno, exactoque inanium abstractionum Sæculo, abstractis illis dicendi modis prætermissis, quo, ex Philosophia & opinione illa Stoicorum, aliquid quod communem ad sensum, & æquam ad interpretationem trahi prudenter posset, eliciamus; ad hodiernos confugeremus accuratissimos dicendi modos, quos rerum cum ideis perfectius consonare intelligimus; tunc esset existimandum, Stoicos, illa declamatoria dicendi ratione, constituere fortasse solummodo voluisse, tantam honestatis vim esse & virtutem, ut sola, & absque aliis Dogmatibus &

prin-

principiis, homines movere possit ad recte operandum. Non ignoro autem, secus fortasse cogitaturum doctissimum Zanottum, qui de Stoicis si quando agitur, eorum ideis standum esse autumabit, neque de honestate rebus intrinseca hoc loco disputandum, sed de honestate illa immutabili & sempiterna, imperium & auctoritatem nacta in mentes Stoicorum. Verum & Stoicos, & Zanottum, in cogitatione æternæ illius immutabilisque honestatis tantisper versari relinquemus, ipsosque adhuc tamen vehementer, ut opinor, oppugnabimus; siquidem, ubi semel demonstratum erit, solam rerum honestatem, ceteris illis, de quibus agimus, omissis veritatibus, sat tutum certumque non esse, nec umquam esse potuisse, Societatis instituendæ; adeoque nec acquirendæ conservandæque felicitatis, aut infelicitatis hac in vita minuendæ fundamentum; hoc, inquam ubi semel erit demonstratum, idem æque statuendum esse demonstrabimus, de immutabili illa sempiternaque Stoicorum honestate.

LVII.

DUPLICI autem institerunt via ad illud ostendendum; qui hoc de argumento docte copioseque pertractarunt. Alii siquidem nedum Legum

jura, sed ipsam etiam rerum honestatem a denunciata nobis Dei voluntate, sive a Religione, repetendam esse docuere; alii ex opposito intrinsecam rebus honestatem fassi, perviamque honestatis illius cognitionem, & illecebram, summa illa adhuc tamen Capita & principia, sive Religionem, tamquam id unicum, quod vim ad movendum habeat, idoneam & aptam, propugnavere. Priori in sententia versati sunt Samuel Rachelius, in Prolegomenis ad Libros Ciceronis de Officiis, & Samuel Coccejus, Dissertatione prima Procemiali ad Hugonem Grotium, a Parente suo illustratum. Hi quippe animadvertentes, diversissimos & oppositos esse inter se, fuisseque semper, Populorum & Nationum diversarum mores; valde corruptam vero hodierno in statu hominum naturam; Rationem humanam demum mutabilem esse semper, & valde inconstantem; constantissimam contra Divinam voluntatem, perfectissimam, immutabilem, consequuti sunt, ex hac solum nobis manifestata, esse naturam honestatis rerum hauriendam: præsertim quum honestatis naturam independenter a Deo præconcipere, idem esse videatur, ac ponere extra Deum aliquid, quod humano Generi imponere necessitatem possit; caussamque aliquam extra Deum constituere, quæ actus hominum justos, vel iniquos ita consti-

sti-

ſtitueret, ut nec Deus ſtatuere aliud poſſet. Hoc autem eisdem videtur minime admittendum. Conſonare vero huic videtur opinioni Johannes Alphunſus Turrettinus, ea in Oratione, in qua *Jus ſine Religione nullum* eſſe demonſtravit. Ipſa enim, inquit, vivendi præcepta, ipſæ juris humani tabulæ, quid tandem tuti habebunt, quibus tandem fulcris nitentur, niſi ſupremi hominum Judicis auctoritas acceſſerit? Enim vero, ſi ex noſtra tantum, vel publica utilitate, juris præcepta deriventur, prudentia quidem vel imprudentia, utilia vel damnoſa, facta noſtra dici poterunt; at juſta vel iniqua cur dicantur, nulla ratio erit. Quamobrem niſi Ens detur, a quo Genus humanum pendeat, cujus imperio ſubjaceat, cujus legibus adſtringatur, utique nulla obligatio, nullum officium, nulla virtus, nullum denique juris fundamentum, inter homines conſtare poterit. Verum eſto, dentur jura quædam ex pactis mutuis deducta: ſed, unde iis reverentia, unde iis robur accedet? Quis occulta cohibebit? quis valentioribus metum injiciet? quænam fides jusjurandi? quænam adverſus veneficia, proditiones, fraudes occultas, ſecuritas & defenſio? quænam, dico, niſi ex Judicis ſemper vigilantis, ſemper attenti, omnesque, prout ſe geſſerint, ad rationem olim vocaturo, alte impreſſa mentibus, & ne ab ipſis quidem Tyrannis, hominumque profligatiſſimis,

ex-

excutienda reverentia? Revera statim atque Deus aliquo saltem modo Legum & naturalis Juris auctor non consideretur, quot in errores cadant necessum est vel Mortales illi, qui honestatis amore rapi se existimant? Optime Theodorus Rychius, Præfatione ad Cornelium Tacitum animadvertit, scribens: *Quod vero in uno alterove loco Tacitus esse Epicureus videatur, cum in toto Opere virtutis se fautorem præbeat, & hostem acerrimum vitiorum, non acerbius ei, quam aliis bujus classis Scriptoribus, quibus similia, & multo graviora excidere, imputandum est. Quod si in causam ejusmodi enuntiationum apud hos nonnumquam occurrentium inquiramus; nulla forte reperietur alia, quam quod circa rerum principia Sceptici fuerint. Hinc cum innata Ratio faciendorum fugiendorumque theoremata, quibus omnis virtus innixa est, illis dictaret; ipsi autem circa horum in se causam fluctuarent, talia subinde effutierunt, quæ cum his, quæ nihilominus sequebantur, conciliari minime poterant. Quanto melius Cicero obligationem Juris naturalis adseruisset in suis Officiis, si Deum illius nobis Auctorem constituisset!* En quo evadebant illorum cogitata, qui summa illa certo non tenebant Capita & principia; Deum scilicet existere; omnia ipsum circumspicere; supremum esse Judicem; ipsique nos reddituros factorum omnium rationem.

LVIII.

LVIII.

POSTERIORA hæc, fateor, testimonia opinionem eam minime confirmant, qua ipsa etiam rei honestas a denunciata Dei voluntate statuitur esse repetenda. Verum neque opinionem illam nos amplectimur, & naturam honestatis intrinsecam fatemur; nam, esto rerum morales etiam essentias præter Dei arbitrium suapte natura tales esse, Naturalistarum caussæ favere nonnulli arbitrentur; ast qualis obsecro propositionum esset illarum sensus, quibus Deum amare dicimus quod bonum, quod justum, quod æquum, quod cum summa honestate est, & sanctitate conjunctum, si hæc omnia necessariam in se non haberent, & incommutabilem naturam? Ideæ profecto ordinis, decentiæ, & conformationis actuum nostrorum humana cum Ratione suam habent, ut dicimus, realitatem, veritatemque, quibusdam certissimis innixam relationibus; quare vel confusam veritatis ipsarum imaginem habent Rudiores quique; eaque vel hebetioris intellectus est natura, ut vix proposita rei honestate, eidem statim mente acquiescat. Nec idem profecto est, aliquid suam habere intrinsecam naturam, idemque minime a Deo dependere.

Eſt enim Deus principium, fons, & origo omnis eſſentiæ, quæ propriam habet tamen a Deo diſtinctam unitatem, veritatem, & bonitatem, quamvis a Numine participatam atque derivatam; quare intrinſeca eſt rebus aliquibus honeſtas, nec tamen a Deo independens; quod Ratione notum. Ut voluntate etiam tamen honeſtatem illam, nec ſola mente, ſed factis æque, & operibus, homines ſequantur, ut obligatio adſit ſequendi ejuſmodi honeſtatem; utque illa obligatio ſat certum habeat fundamentum, allegata neceſſaria ducimus principia, quæ Religionem, naturalem ſaltem, proprie conſtituunt; quare imperfectiſſimam ſtatuere poſſimus Philoſophiam eſſe moralem Stoicorum, ex oppoſito diverſam prorſus, perfectiſſimamque, Philoſophiam moralem illam, quæ talem adjicit honeſtati vim, & allegata habet præconcepta naturalis Legis, & exercitii honeſtatis fundamenta.

LIX.

Religio revera, ut ab infinitis Scriptoribus obſervatum eſt, tutiſſimum fuit ſemper cujuſcumque civilis ſocietatis, factorumque moralium, fundamentum. Contractus ſiquidem, pacta, ſocietates, commercia negotiatorum, ceterique pene omnes humanæ vitæ actus, promiſſionum

fidei

fidei innituntur. Infinitæ vero se se objiciunt occasiones, in quibus utilitas alterum Agentium extimulat, ne stet promissis, præsertim si falli Judex civilis possit. Nisi igitur inconspicuus Judex, vindexque violatæ fidei certus & supremus timeretur, confusio & perturbatio civilis status, quæ jam minima non est, ob tenuem impiorum illius Judicis timorem, quodque non semper in illum ceteri animum intendunt, eo perveniret demum, ut totum brevi ipsa tempore depopularetur Universum. Et sane humanæ Leges olim statui non potuissent, nisi præconceptis Legibus divinis, humana scilicet non solum Ratione, sed Divina præcipue existentia, auctoritate, & providentia; quum facile imaginari nequeamus, quonam pacto infinitæ pene Gentes facile adeo tot se Legibus humanis, libertati oppositis & cupiditati, subjecissent, nisi fuisset ipsis persuasum, Leges illas superiore fuisse ab ente veluti profectas, aut conformes saltem, denuntiatæ ejus voluntati. Maxima siquidem hominum pars, imo pene omnes, publicæ utilitatis ergo agere non valent, quum id suadentia argumenta, abstracta & captu difficilia nimium sint, adque Metaphysicam scientiam pertinentia, nec tantum sit otii omnibus Mortalibus, ut ea in examen revocare, eorumque vim meditari valeant, affectibus præsertim, & privata utilitate, publi-

cæ se se utilitati non semel opponentibus. Quo enim sublimior aliqua Philosophia est, eo paucioribus contenta est Judicibus, & Sectatoribus, multitudinem consulto ipsa fugiens, quæ perpetuo id negligit quod non intelligit; affectibusque agitur potius, spe scilicet, & metu, quam rationum pondere & argumentorum. Quare quod sensibile modo est, quod planum & apertum, naturæque simpliciter consonum, capacitatem multitudinis explet; quæ numquam abstracta obscuraque rimatur; adeoque inepta Foro dicta sublimior eloquentia, nec aliquid frigidius creditum, quam Lex aliqua cum Prologo. Recentiorum Philosophorum nullus magis Dogmaticus fuit Johanne Clarkio, inter Anglos sane celeberrimo, qui in Inquisitione tamen sua de Caussis & Origine mali, Religionem, Dei munere, mortalibus concessam, tuetur, ceu unicum & necessarium medium, quo Divinam non modo certe aperteque cognoscerent auctoritatem, verum etiam obligationem parendi Legibus, quæ ad virtutem impellunt, & ad honestatem. Inferrendum igitur, omnium primos & antiquissimos Legumlatores principium aliquod pervium & commune jam constitutum invenisse apud illos Mortales, humanis qui se Legibus facile adeo subjecere. Illud autem certo constitutum principium non aliud esse poterat, quam Judicis inconspicui certa persua-

sua-

suasio, qui hominum acta rimaretur, eaque pro meritis præmio afficeret, aut puniret, qua profecto de re fidem facit Historia præsentis & veteris memoriæ, quæ Religionem Civitatum & Societatum fuisse vinculum ostendit; nam, ut egregie Plutarchus contra Colotem disserebat, si terram obeas, Urbem quidem certum est reperiri posse sine muris, sine litteris, sine legibus, sine opibus, sine numismate, sine Gymnasiis, sine theatris; at Urbem templis, Diisque carentem, neminem umquam vidisse, aut reperiisse; quin imo facilius Urbem sine solo, quam sine Diis constare posse, idem Plutarchus adfirmare nullus dubitat; siquidem Religio, ut ipse ait, opportunum est, fuitque semper, ad ferendas Leges, retinendamque Societatem, inventum, & arcanum.

LX.

CELEBRIS Johannes Barbeyracius, cognita licet, admissaque, intrinseca omnino rebus honestate; Religionis tamen necessitatem, ceu quæ vim sola movendi habeat ad recte operandum, & parendi obligationem inducat, cum in Præfatione, tum etiam in Notis ad Libros de Jure Naturæ & Gentium Pufendorfii, copiose demonstravit. Certum quippe persuasumque habet, doctri-

doctrinam morum filiam esse Religionis, ipsasque procedere pari passu, & unius perfectionem, normam, & mensuram esse perfectionis alterius. Marcum Antoninum, magnum illum Cæsarem una & Philosophum, id docuisse animadvertit, quum dixit nunquam nos juxta rectam morum regulam operaturos, nisi cognito ordine, quem regula ejusmodi ad Divinitatem habet; neque moralia præcepta probe sequuturos, nisi constituto Cælestium erga mortalia influxu. Principia reapse, & summa Religionis naturalis Capita (quæ basis est omnium Religionum) tutius non modo esse subdit, sed unicum etiam prorsus cujuscumque moralis Doctrinæ fundamentum. Nisi enim Divinam constitutam habeas existentiam, atque Providentiam, nihil est, quod absolutam adferat necessitatem hoc vel illo modo operandi. Honestas siquidem intrinseca licet revera rebus insit, propter ideas ordinis, & decentiæ conformationis voluntatis nostræ ad humanam Rationem; ut ideæ tamen illæ practicæ evadant, vimque acquirant operandi, utque movere voluntatem possint, ne affectibus cedat & privatæ utilitati; ut vera demum & proprie inducatur obligatio, & necessitas parendi, frenumque injiciatur voluntati, ne se se Rationis lumini, adeoque officio, subducat; necesse prorsus est, supremum Ens & potentissimum præ-

con-

concipiatur, cui jus ſit in voluntates ipſas, quodque eas cogat recte agere, & ordinate. Idea quippe Entis hujus ſapientiſſimi factorum Judicis, ipſiuſque præſertim honeſtatis Vindicis, tantam vim habet & virtutem, ut ſola tunc, & ſolum veram inferat voluntati hominis neceſſitatem ſe morum doctrinæ & honeſtati rei accomodandi. Ex oppoſito ſi Religionem auferas a quocumque vel ſpecioſiſſimo moralis doctrinæ ſyſtemate, ædificium meditaberis nullo innixum fundamento, & nunquam quidem practicam, ſed contemplativam modo contexuiſſe te noveris morum Doctrinam, niſi dixerim falſiſſimam.

LXI.

EJUSMODI fuiſſe moralem Stoicorum Philoſophiam ſubjicit Barbeyracius; idea ſiquidem, quam conceperant virtutis, prima eſto fronte, magnifica eſſe videatur, ſi ſerio conſideretur tamen, nec omnino vera erat, nec perfecta, nec veris innixa principiis, nec ab omni demum errore libera. Virtutem enim ſummum appellabant bonum, neque bonum aliud agnoſcebant, præter honeſtatem: itaque hominem virtute præditum, vel inter tormenta, feliciſſimum prædicabant. Sed ut quod jam diximus, certumque
eſt,

eſt, in præſens omittamus, virtutem ſcilicet; eſſe quidem poſſe felicitatis, & tranquillitatis animi efficientem cauſſam, non ipſam vero felicitatem, ſive animi delectationem, & quietem; &, quod idem eſt, objectivam quidem felicitatem eſſe poſſe, non formalem; in eo tamen Philoſophi illi maxime errabant, quod nil eorum ex virtute oriretur, & procederet, quod conſolationem aliquam adferre homini poſſet, aut utilitatem; quum ſpe ipſi futuræ carerent vitæ, aut futura de vita ambigue prorſus, & confuſe loquerentur. Brutus, qui, ceu e ſecta Stoicorum immutabilem illam ſempiternamque honeſtatem, quæ ſumma imperare auctoritate dicebatur, contemplatus fuerat, & ſequutus, ille, inquam, ſi Dioni Caſſio, Libro XLVII. & Floro, Libro IV. fides, moriturus, *Tibi male ſit*, dixit, *infelix virtus, quæ me Te ſequutum decepiſti. Fore autumabam, naturam ut haberes tuam, quare me Tibi toto animo addixi. Aſt nunc video te nomen inane, & umbram modo eſſe; fortunæque prædam & miſerum mancipium.* Hoc autem acerbius Bruto imputandum non eſſe arbitratur Barbeyracius, quod ubi virtutis exercitio adjecta non ſit idea Sæculi futuri, virtuti poſſint & innocentiæ jure merito aptari Salomonis verba: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* In ſola ſiquidem confidere virtute & innocen-

nocen-

nocentia, idem certe foret, atque in fracta confidere novacula, a qua vulnus demum accipit qui ea incaute utitur. Deus siquidem hacce in Œconomia generalibus videtur subjecisse aliquando legibus, uti sanitatem & opes, ita virtutem etiam & innocentiam; nec nisi qui prorsus insanivit, appellare felicem potest hominem inter angustias & tormenta crudelissima versantem, nisi altera in vita tantæ virtutis & constantiæ præmium ipse copiosissimum expectet. Male heinc argumentatos olim fuisse Leibnitium, & Bælium, Barbeyracius ostendit, imaginatos nempe solam honestatem, vim habere posse movendi semper ad bene operandum, quod homo, occulte etiam peccans, erubescat; eo eodem pacto, quo, dum in errorem labitur memoriæ, aut etiam ignorantiæ. Male, inquam, eos argumentatos apertissime ostendit; illo siquidem ex rubore consequi & inferri modo posse evincit, ejusmodi expertem omnis Religionis hominem, angustis se nimium terminis, errorisque capacem intelligere; ruborem iccirco illum, & intrinsecam illam, tacitamque animi perturbationem, superbiæ ejus, & philautiæ tribuendam esse; non autem quod sit eidem persuasum teneri se, nunquam memoria labi, veritatesque omnes, quæ ad Scientias pertinent, callere. Sive igitur fundamentum totius obligationis ad

recte ordinateque operandum, sive efficaciora moventia ad virtutem consideremus, intelligere & fateri certissime cogemur, Societatem hominum, Divinam Naturam & Providentiam, immortalitatemque animorum, e futuræ statum vitæ ignorantium, chimæram esse Platonica Republica leviorem; aut malis saltem infinito pene modo deterioribus obnoxiam atque ea sint quæ de Populis nullam habentibus Societatem referuntur.

LXII.

SHERLOKIUS, Anglus Doctor, in Tractatu de Judicio extremo, in quo divinam sibi sumit vindicandam Providentiam, relate ad hujus vitæ Œconomiam, honestati æqualem omnino vim tribuit & virtutem, ei, quam præconcipit, & asserit Barbeyracius. Mala igitur cum physica, tum etiam moralia, contra Providentiam ab atheis objecta, Declamationis potius esse ait, quam veritatis argumenta; quin ex opposito apertissimum, certissimumque erui ex eisdem probat Divinæ ipsius Providentiæ monumentum; quum humani natura animi ita constituta esse videatur, ut ex virtute premium, pœnam vero ex peccatis procedere, & oriri facillime intelligat. Quot enim cruciatibus, quot angustiis, ejus ani-

animus torquetur, qui affectibus agitur non ordinatis? De hoste ulciscaris. Quot inde emergunt molestissimæ animum sollicitantes curæ quæ ultionem comitantur, aut sequuntur! Nulla certe ex animi motu vehementer perturbato reliqua est quies, sed ipse se punit, ipse crudelissimum sibi est supplicium. Angor conscientiæ vero, primus est peccatorum vindex, quare illa Orestis:

Me fugio; fugio conscium scelerum omnium
Pectus: manumque hanc fugio, & hoc cælum, & Deos,
Et dira fugio scelera, quæ feci innocens.

Hunc Deus in nobis posuit Legum suarum lictorem; nec duræ etiam & infelicis exercitium virtutis ea nobis infert, aut similia tormenta, iis, in quæ rapimur cultu vitiorum. Virtus ex opposito æstimationem non modo sibi parit hominum, sed conscientiæ quietem animique tranquillitatem, in qua vera sita est felicitas. Verum, subdit egregie Sherlokius, quid aliud est, omnes apud homines, conscientiæ angor, dum peccant; & animi tranquillitas ex virtutis exercitio, quid aliud, inquam, nisi certissima imago, & apertissimum indicium diversorum statuum Sæculi futuri, quibus ampliorem jucunditatem consequetur virtus, & crudeliora vitium tormenta? Ille quippe angor animi ex vitio,

illaque ex virtutis exercitio tranquillitas & quies, Deum nobis indicant, manifestantque, rectorem, muneratorem, atque vindicem; qui nunquam ejusmodi se foret tamen mortalium omnium oculis perspicua ostensurus in Œconomia, nisi alter futurus esset status, in quo externum etiam virtuti præmium, externaque futura forent honestatis osoribus supplicia. Quoniam autem & plurimi eo impietatis devenere, ut ob vitiorum habitum, mentisque cœcitatem, nullo pene, dum peccant, aut tenui solum angore conscientiæ cruciarentur; quumque diversi illi futuræ status vitæ circumscriptis nimium mentibus mortalium, quales futuri demum sint, non adeo se clare manifestant; heinc data, Dei munere, mortalibus Religio, cujus face ad illarum duci possent cognitionem veritatum, quibus homines in officio continentur.

LXIII.

Posita igitur & prædicata, imo amplificata, quantum optare aliquis possit, honestatis natura, & præstantia; si præcipua adhuc tamen desideretur caussa, quare sequamur honestatem, spes præmii scilicet, pœnæque timor; vix inter homines reperietur, qui practice demum honestatem illam propriæ præferat utilitati. Quam

bene

bene ea de re Lockius scripsit, in suo illo rationabili, sive deformato, Christianismo! Fateor, inquiebat, Philosophos veteres nonnullos virtutis pulchritudinem & constantiam ad astra usque extulisse, divinamque illam cæli filiam ita exornasse, ut omnium ipsa oculos, admirationemque & amores ad se raperet, nec ullus foret qui eam non probaret, & summis prædicaret laudibus. Verum, quum pulcherrimæ huic tamen Virgini nullam Philosophi illi constituissent dotem, nemo de illa in matrimonium ducenda cogitabat. Horum vero, ut olim dicebamus ratio est omnium, quod tametsi ad bene sapienterque operandum, non humanam Rationem modo, sed præclara etiam nobis aptaque adminicula, visa sit præstasse Natura, quum scilicet, per lenes quosdam & compositos animi motus, erga objecta, tum virtutem innatam animæ, tum etiam sensus demulcentia rapimur, quæ honesta suapte natura sunt, & cum virtute conjuncta; quare secundum virtutem facile operamur, dum oppositus affectus non urget, & virtuti inimicus: ast rebelles tamen sæpenumero, accensi, iracundique animi impetus ipsum agunt adeo, & in vitia detorquent, ut eorum collisione perpetua atque conflictu, non angi modo & discruciari se, sed & ad inhonesta rapi animus adeo sentiat, ut impetus illos nulla videa-

tur

tur posse ratione superare. Quum enim in nobis fervet animi calor, qui per alterius oculos intima delatus ad præcordia vires paullatim carpit, & circa jecur sæviens ulcerosum ita urit, ut acerrimum tandem moveat incendium; ille, inquam, animos adeo inflammare solet, iners ut evadat illa, quæ reliqua fuit in homine virtus, & honestatis illecebra, nec aversum tunc animum possit provocare. Probe etiam virtutem noverat, deperireque, & sequi Medea videbatur, quoad potuit, quod honestum non erat aversata. Ast quum amantis anima, ubi amabat magis esset, quam ubi intelligebat, & animabat, traxit invitam nova vis, vicitque cupido mentem meliora suadentem. In libertatem fateor, honestatis meditatione aliquando se vendicare Medea conabatur;

Dixit, & ante oculos rectum, pietasque, pudorque
Constiterant, & victa dabat jam terga Cupido.

Viso tamen iterum Jasone, in prope excussas præceps rursus se dedit flammas, quæ animam semel ingressæ, æternum agitant; quum nescire videatur amor priscis cedere imaginibus. Itaque & Phædra incestum petitura ab Hypolito amorem inducitur exclamans:

Vos

Vos testor omnes Cœlites, hoc, quod volo me nolle

Fugienda petimus, sed mei non sum potens.

Quum igitur fugaci voluptati tantas illecebras dederit Natura, ut pudicitiam, famam, graviditatis molestias, ipsumque vicerit Deorum timorem, apud tot honestas etiam Ethnicorum animas, quis contranitentes ipsas solam sempiternæ immutabilisque honestatis imaginem compellere & cogere potuisse imaginabitur? Hominem, fateor, bene affectum aget quidem innata virtus, reique honestas ad recte ordinateque operandum; imo si lenes sint, licet non omnino ordinati, animi affectus, possunt fateor, a delectatione virtutis, & honestatis superari. Verum quum perturbati animi motus vehementius in eum desæviunt, & a cupiditatis impetu & vi, illecebra honestatis superatur, fortius tunc innata illa hominis virtute, reique honestate, fortius, inquam, & necessarium magis requiritur principium, imo & fortius auxilium, quod homines ad officium vehementius impellat; nec istud nisi a Religione, & a Numinis ope repetendum, quæ præmiorum spe, metuque suppliciorum, cogat eos non ordinatis affectibus obstare, honestatemque sequi, & amplecti.

LXIV.

LXIV.

QUAMVIS autem innatum in homine virtutis amorem, & perviam æque honeſtatis cognitionem admittamus, neminem latere tamen debet, propenſionem adhuc illam, atque cognitionem, perturbatione paſſionum vehementer labefactari & imminui; quod ipſi cordatiores Ethnici intellexere. Tullius ſiquidem, Libro de Legibus primo, ſerio animadvertebat: *Juſtos natura nos eſſe factos; tantam autem eſſe corruptelam malæ conſuetudinis, ut ab ea igniculi exſtinguantur a Natura dati, exoriantur, & confirmentur vitia contraria*. Libro autem Quæſtionum Tuſculanarum tertio, *parvos*, inquit, *Natura dedit nobis igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis ſic reſtinguimus, ut nusquam Naturæ lumen appareat: nunc autem ſimulatque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma omnium perverſitate verſamur*. Deterius adhuc humana de natura ſenſiſſe videtur Polybius, ita Libro XVII. ſcribens: *Humanum genus, quod omnium videtur animantium eſſe vaferrimum, multum rationis habet ad hoc ut ſit vitioſiſſimum. Etenim reliqua quidem animantia, corporalibus concupiſcentiis ſervientia, per ſolas eas ſeducuntur. Humanum vero*

genus,

genus, quoniam gloriæ ſtudioſum eſt, non minus per inconſiderantiam, quam per naturam peccat. Verum ne Declamationi alicui tribuere nimium videamur, admittamus, ut dixi, virtutum igniculos, a Natura nobis datos, & innatum in honeſtatem amorem; quid illi adhuc tamen in nobis ſine Religione poterunt? Nihil profecto, ſemel atque animus affectibus vehementer perturbetur minime ordinatis. Itaque magnus etiam ille Vir Hugo Grotius, mentis animique noſtri labefactas vires non modo vidit, ſed remedium indicavit etiam, in lumine Religionis collocatum. Siquidem illud Libri Sapientiæ (XIII. 1.) *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, enarrans, hæc ſuis in Notis adjecit. *In Græco eſt amplius, nempe*, Vani natura omnes homines, quibus adeſt Dei ignorantia; *ubi* natura *non tantum ſignificat, ut alicubi, id quod reapſe eſt, ſed quod plane animo inolevit. Sic in naturam mutata dicuntur ea vitia & virtutes, quæ altas in animo radices egere. Congruit autem hic ſermo cum eo, qui eſt ad Romanos primo. Nam quamquam magnifice dicunt quidam*, Honeſtum per ſe expetendum, *tanta tamen in animo eſt vis eorum quæ concipimus, ut niſi adſit de Divina Providentia, & quidem facta hominum repenſante, perſuaſio, ſimulque Leges quædam, quæ in recta via homines dirigant, fieri non poſſit,*

quin extra orbitam evagentur, & quidem sæpe graviter, ut Stoici in masculam Venerem prolapsi, Romani nihil injustum arbitrantes, quo imperium ipsis cresceret, & luxus sui sustentandi causa exponentes liberos, & gaudentes temere effuso in arena sanguine, quasi id ad virtutem esset incitamentum. Vanos ergo dicit Libri Sapientiæ Auctor eos, qui Dei & Providentiæ ipsius cognitionem non sollicite custodiunt, sed de ea re sententias cujusque permittunt arbitratui, quo nihil potest reperiri, non dico bonis moribus, sed Reipublicæ exitiosius. Hoc autem ex testimonio videt quisque, non modo maximo cum fundamento Grotii Interpretes, eum excusare perrexisse, in Libris de Jure Belli & Pacis ponentem, homines etiam negato Deo, jure Naturæ obligari; adserentes, ipsum scilicet, non per modum theseos, posuisse, Jus Naturæ dari posse absque Deo, sed per modum fictionis; quia expressis verbis statim subjicit: *id sine summo scelere dari non posse*. Id, inquam, non modo sequi videt quisque: verum & elicimus, magnum illum Virum novisse discrimen inter id quod obligare deberet, & id quod demum solum obligat, aut revera movet ad agendum; itaque nihil evidentius allegato dari posse reor testimonio, quo honestatem illam Stoicorum sempiternam intelligamus ineptam fuisse, minusque idoneam,

neam, ad Societatis ordinem aut inducendum, aut etiam conſervandum. Non majorem enim ſempiternæ illius immutabilisque honeſtatis fuiſſe auctoritatem, nec majus fuiſſe imperium poterant Stoici imaginari, auctoritate, imperio, vi, & virtute illa, quam principio *Socialitatis* ſuo Grotius aſſerebat; nec magis Stoici ponere poterant obligari homines ad officia Naturæ, & virtutum a ſempiterna illa & immutabili honeſtate, ac poſuerit Grotius ad eadem eos obligari a principio *Socialitatis*. Verum poſita adhuc tamen obligatione maxima a principio *Socialitatis* procedente, vidit & faſſus eſt Vir ille magnus apertiſſime, fore ut adhuc virtutum & Societatis officia non præſtarent homines, niſi ad ea a Religione impellerentur; ergo etiamſi admittenda foret honeſtas Stoicorum ſempiterna cum imperio æque & auctoritate a Stoicis arbitrario præconcepta, non inde tamen effluerer ordo Societatis, niſi adjectis principiis illis & Capitibus, de quibus Stoici imprudenter dubitabant.

LXV.

ILLO ſane in Grotii teſtimonio perfectiſſimam habes imaginem Stoicorum, quod honeſtum eſt, per ſe eſſe expetendum, magnifice quidem prædicantium; Divinam vero Naturam & Pro-

videntiam, immortalitatemque animorum negantium, aut veluti incertam & obscuram negligentium. Posteriora hæc vero ignorantibus, & prætermittentibus, num virtutes tantum ordinis supernalis deesse potuisse, imaginaberis Grotium fuisse arbitratum? num Stoicos masculam in Venerem apertissime prolapsos, honestatis amore tamen, & pulchritudine virtutis actos? absque persuasione Divinæ demum Providentiæ facta hominum repensantis, ad altissimum pervenire eos potuisse virtutis & perfectionis gradum? Quin potius eorum virtutes, simillimas dixisset virtutibus Sinensium nobiliorum, qui, ut Johanni Clerico *in Parrhasianis* animadversum, animorum de perennitate, deque Providentia Numinis, securi, non alia sunt præditi virtute, quam profundissima dissimulatione vitiorum. Aut Stoicos cum Sadducæis contulisset Grotius, qui Deum esto admitterent; quum tamen neque singularium Providentiam rerum, neque futuram faterentur vitam, invicem crudeles & feroces erant; nec tam exterorum, quam hostes suorum implacabiles, ut Flavius Josephus testatur, in Libro de Bello Judaico secundo; ea vivendi ratione satis ostendentes; non posse allegata illa prætermitti Capita, quin animus inde oriatur omnis Societatis & humanitatis inimicus. Quod si quæsiveris qua nam ratione, quum Athei fue-
rint

rint Stoici, uti Sinenſes nobiliores, potuerint illi olim, uti hi nunc, non modo in Societate vivere, ſed Magiſtratum etiam gerere? Pervium omnino reſponſum eſt; eadem nempe ratione, qua Sadducæi olim, & Epicurei; quorum de prioribus teſtatur Flavius Joſephus, Libro antiquitatum Judaicarum XVIII. *ipſos ſi quando magiſtratus gererent, invitos & neceſſitate coactos, Phariſæorum opinionibus aſſenſos fuiſſe; quod eos alioquin non tuliſſet Populus*; de poſterioribus autem fidem faciunt Lucianus in Sympoſio, & Athenæus, Libro Deipnoſophiſtarum IV. ipſos æque Magiſtratui gerendo Sacerdotia obiiſſe, feciſſe ſacrificia, alioſque Religionum ritus peregiſſe. Cenſes ne minus ſimulandi capaces Stoicos fuiſſe, atque in præſens ſint Sinenſes, & quondam Sadducæi fuerint, & Epicurei? Ceterum ſi coactam illam & ſimulatam prætermittimus virtutem, tantis, uti Sinenſes nunc, Sadducæique olim, & Epicurei, videntur Stoici laboraſſe vitiis, ut ſoli nullam conſtituere potuiſſent ordinatam Societatem. Revera, quinam fuere Sectæ Stoicæ Heroes? Cato Cenſor, infamis, avarus, crudeliſſimus, ſuperbus; Seneca, avariſſimus; Marcus Aurelius, effrenis Uxoris licentiæ impotenti patiens conniventia; aliique, qui hoſce omni vitiorum genere longe ſuperarunt. Hortabantur illi quidem Scriptis ſuis & effatis ad exer-

citium

citium virtutis, sed vitiis ipsi tamen laborabant turpioribus. Sique mortales omnes Stoicis similes fuissent, eam constituissent Societaten, in qua nemo aliquam indipisci potuisset, aut conservare tranquillitatem animi, & felicitatem.

LXVI.

Non ignoramus, Samuelem etiam Pufendorfium vitæ futuræ expectationem, & animæ immortalitatem in Jure Naturæ seposuisse; qua de re questi adeo doctiores ejus Editores, & Interpretes. Pufendorfii adhuc tamen Systema non est certe cum Systemate Stoicorum imperfectiore confundendum. Siquidem tametsi immortalitatis animorum Dogma prætermiserit Pufendorfius, existentiam tamen Numinis æterni, intelligentis, providentisque posuit; imo Libro de Jure Naturæ & Gentium secundo, Capite quarto, totus est, ut inter hominis officia præcipuum esse ostendat, animum primo Religione imbuendum; & quum vim jurisjurandi in Jure Naturæ admittat, Deum hac saltem in vita perjurii Vindicem agnovit; quare illius ex Systemate non omnia desiderantur ordinatæ societatis fundamenta. Sic doctissimus Anglus ille Warburtonus, qui celeberrimo in Opere de Divina Moysis Legatione, inficiatus est, Hebræos Theocra-

cratiæ tempore aliquam habuiſſe futuri Sæculi notionem (quod nos ſpeciali Commentario adverſus Johannem Clericum, eſſe falſum demonſtravimus) quum tamen infinita in medium proferat ille monumenta, quibus vehementiſſime evincit, ceteros omnes Populos futuram crediſſe vitam; ideo hoc eveniſſe arbitratur, quod quum Ethnicorum Reſpublicæ humanos tantum Judices haberent, e quibus ſolis ordinatus haberi non poteſt Societatis ſtatus; heinc neceſſariam apud eosdem fuiſſe diverſorum ſtatuum futuræ vitæ perſuaſionem, quo in officio continerentur, & Societas apud ipſos aliquo modo conſervaretur. Contra vero, id, Theocratiæ ætate, non neceſſarium apud Hebræos Dogma hoc habitum conſequitur, quod Judicem ipſi minime tunc haberent, uti Gentes ceteræ, humanum, & qui nota tantum noſſet; ſed Deum ipſum occulta etiam videntem, & ita dicentem judicium apud ipſos, ut propriis veluti oculis omnia circumſpiceret, ſemper vigilaret, ſemper attentus eſſet, Leges quotidie ediceret, plecteret, puniret, præmioque meritos afficeret. Intellexere igitur, vel dum in præjudicatis opinionibus verſabantur, præſtantiſſimi hi Scriptores, non ſatis conſtitutum poni poſſe Societatis Civilis ſtatum, niſi aut utroque præconcepto Religionis Capite, aut priore ſaltem, Divina nempe Providentia.

Ita-

Itaque quum Philosophia Moralis Stoicorum, utrumque Caput prætermitteret, nullus ex ipsa oriri potuisset ordinatæ Societatis status, nullaque felicitas iccirco apud eos, qui fuissent sempiternam illam tantum honestatem Stoicorum immutabilem sequuti.

LXVII.

Quis igitur non miretur vehementer, Zanottum eo processisse, ut, vel in hac Philosophiæ Moralis Christianorum luce, laudandam celebrandamque adhuc duxerit Philosophiam moralem hominum illorum; serio imo monendum duxerit Maupertuisium, pag. 289. *caveret, ne aliquam tantis Viris inferre pergeret injuriam?* Quod ipse tamen Viro Cl. non animadvertenti de quo nam tunc diceret Systemate, inconsiderate excidisse arbitror. Justum Lipsium olim Stoicismi, ut ajunt, postulaverat Redanius, cui sic respondentem Lipsium, in Defensione ejus posthuma, inducit Capite XI. Carolus Scribanius Societatis Jesu Vir doctissimus: *Et vero non aversabor Stoici nomen, sed Stoici Christiani. Tibi lubens convitiatoris, linguæ tuæ calumniatricis nomen concessero. Deum testor & homines, post calumniam natam, apertiore & mendaciore calumnia neminem petitum.* Quum vero eandem illi asseruisset notam Georgius Thomsonus, Arnoldus a Boecop, in Dialogo de vera Justi

Justi Lipsii Religione Catholica ita illum fatum simulat: *Non dissimulo, in pretio & amore mihi Stoica Secta est, non sequor tamen, aut approbo, nisi in quibus cum Christianis contesserat. Pernosci autem sine Christiana veraque Religione, Stoica Philosophia non potest, quam prælucentem si tollis: fateor ecce & clamo, ludibrium illa, vanitas, delirium est.* Montesquieum recens notavit Adversarius, ceu Stoicorum laudatorem; cui respondit ille statim, laudasse se Stoicorum præcepta, non principia; illamque quam præferebant morum Scientiam celebrasse, non autem ipsorum naturalem Philosophiam, aut Metaphysicam. Ex alicujus autem Sectæ Metaphysica Systema totius pendet, exque Systemate totius, singularium Systema. Heinc videas quamnam Stoicorum rationem habendam duxerint, qui minimam quoque habent opinionum communium rationem. Nec id sane mirum. Epicureis siquidem, & Hobbesianis hujusce temporis, exceptis, qui nullum Naturæ Jus admittunt, Sectam duriorem Stoica inveniet nemo. Nam illi etiam, qui in præsens Naturalem tantum Religionem esse docent admittendam, & bellum cuicumque sive veræ, sive falsæ Revelationi & Traditioni movent infestissimum, nec aliud bene beateque vivendi, adeoque etiam ordinatæ Societatis, principium ponunt, quam humanam Rationem;

illi, inquam, ipsi Systema inducunt, pessimum illud quidem, sed magis adhuc quam Philosophia Moralis Stoicorum tolerandum. Quinque enim summa Religionis, ut ajunt, Capita & principia, Deum nempe summum, providentemque, esse & existere; coli ipsum debere; virtutem esse præcipuam cultus divini partem; resipiscendum esse a peccatis; dari denique præmium & pœnam tum in hac vita, tum etiam in altera; hæc, inquam, principia ita ponunt clara, aperta, & constituta, ut de eisdem humana Ratio nullo possit pacto dubitare. Eorum autem de necessitate summa, quot quantaque in medium Wollastonus protulit, in specimine suo Religionis Naturalis! Itaque sola ea esse admittenda consequuntur, & humanæ solum Rationi, uti principia, ita morum etiam præcepta asserunt, nec non cognitionem discriminis justos inter & iniquos actus; pretiumque, uti cognitionem honestatis, ab humana Ratione repetunt; sed a Ratione, ut vides, suapte natura & vi, existentiam & providentiam Numinis ponente; a Ratione certo æque ponente præmium & pœnam, tum in hac, tum futura etiam in vita. Fateor sane, hoc in Systemate nullam haberi sat claram certamque præmiorum pœnarumque futuræ vitæ notionem; nullamque in ipso tradi de malorum origine doctrinam; nullam exhiberi re-

ri remiſſionis peccatorum certitudinem; nec ipſum ſatis poſſe ſe tueri ab objectionibus Atheorum. Verum, vel in hoc adhuc imperfectiſſimo Syſtemate ſumma illa inculcantur Capita, quæ Stoici per ſummum nefas omittebant. Quantus autem error, Syſtema onerare laudibus, Deiſtarum Syſtemate deterius!

LXVIII.

SED deterius etiam erat Stoicum illud Syſtema quacumque vel craſſiori Idololatria, relate loquor ad Societatem continendam, conſervandamque & augendam hominum felicitatem, aut ad eorum infelicitatem minuendam. Religio enim quæcumque idololatrica, eſto verborum ſub involucris, fabularumque myſteriis, Revelationum figmentis, ſomniorumque interpretationibus, falſorum rituum ambagibus, & additamentis opinionum, interſperſa & corrupta, prætulit adhuc tamen ſemper, promulgavitque ſumma illa, de quibus heic agimus, Capita & principia, uti apud ſexcentos Scriptores videre eſt, & apud totum ea in re præſertim Herbertum de Cherbury, in Tractatu de Religione Gentilium; Ethnicique pene omnes, uti fuſe oſtendit Seldenus, Libro de Jure Naturæ & Gentium primo, naturales Leges a Diis fuiſſe derivatas;

ipſos Judices, & Vindices, ſibi perſuaſum habuere; ipſos mortalium Cuſtodes; quare allegata Capita, quacumque in Idololatria, maximum habuerint in actiones hominum, proindeque in Societatis ordinem, influxum. Non ignoramus Bæliana quidem Cogitata de Idololatrarum Societatibus, quas deteriores fuiſſe Auctor ille exiſtimavit Societatibus (ſi quæ fuiſſent) Atheorum; contendens, Ethnicorum divina de Natura opiniones non potuiſſe cum rectis vivendi regulis componi, iccirco ſatius fuiſſe, Idololatras Religione caruiſſe, quam ſuis ipſos fuiſſe Religionibus addictos; ea proculdubio, ſubdit, ratione, qua melius aliquo cum homine ageretur, ſi eumdem nullo modo exiſtere, quam ſi improbum, ipſum eſſe hominem quis adſereret.

LXIX.

Huic tamen fallaciſſimo ſophiſmati ſexcenti jam Scriptores occurrerunt, nuperque Auctor, qui *de Legum Spiritu* ſuſe pertractavit. Ut enim, inquit, neque utile incolumitati generis humani, neque neceſſarium eſt, hunc vel illum hominem exiſtere; ita ex oppoſito, utile non modo, ſed prorſus neceſſarium eſt, Divinam non modo exiſtere, ſed etiam credi Naturam, atque Providentiam. Hiſce quippe ignoratis, aut

aut non creditis, vel independens, ut ajunt, erit homo, vel erit perduellis. Quid autem ab homine timendum, qui a superiore se Principio, Ente, & supremo Judice pendere non arbitretur? Quid non mali a perduelli homine expectandum? Asserere jam vero, Religionem principium cohibens non esse, quia non omnes omnino semper cohibet, idem peræque foret ac statuere, Civiles etiam Leges principium cohibens non esse, quod nec illæ perpetuo cohibeant; errore nec a Libertatis asseclis admisso. Quam enim pessima methodus disserendi Bælii! Spisso ille in Opere mala omnia Ethnicorum a Religione, ut arbitratur, derivata enumeravit, prætermissis bonis omnibus eodem e fonte, eademque ab origine, profectis. Qui omnia, quæ sive Monarchico in Imperio, sive in Rebuspublicis evenere mala recenseret, horrorem proculdubio excitaret. Num igitur nec utilis, nec necessaria aliqua est Regiminis Civilis forma? Num Civiles Leges, Societati continendæ, minus necessariæ? Vel si non necessaria esset privatis Religio personis, necesse profecto tamen est ei Principes subdantur, qui quum Civilibus se cohiberi Legibus minime arbitrentur, extremum aliquando inferrent, nisi Religionis freno moderarentur, subjectis Populis exitium. Sed atheismo vindicando invidiosam nimium dedit Bælius Idola-

lolatriæ cujuscumque faciem, deterioremque, ac revera Idololatria aliquando fuerit, conspectum; quum in crassiori ejus quoque statu summorum Capitum, nisi substantiam, ut ajunt, imaginem saltem fuisse adservatam certum & apertum sit; Naturam nempe aliquam existere Divinam; ipsamque rebus Mortalium providere; alteram denique futuram vitam, facta hominum pro meritis compensaturam.

LXX.

MAJORI vi contra Bælium tot alii doctissimi Viri differuere, quibus opinio Idololatriæ Atheismum præferens, relate praesertim ad ordinem Societatis, & felicitatem Civium, maximum visa est paradoxorum omnium. Si enim Societas hominum ponatur, Religionis cujuscumque vinculo carentium, quis dubitat, ipsam futuram fore infinitum deteriorem Societate hominum, in qua Religionis veræ principia illa summa, & Capita, quamvis corrupta & soluta, sint adhuc tamen reliqua? Ut enim jam diximus, certumque est, nil aliud Idololatria fuit, quam Schisma a prima, vera Patriarcharum Religione; vel hæresis ipsius Adamiticæ Religionis. Qui enim origini Idololatriæ explicandæ ad malum confugiunt Genium, veluti ad evocatum aliquem e ma-

machina Deum, quem æterni Numinis æmulatorem, & simiam esse concipientes, universas docent apud Gentes simulachra veræ invexisse Religionis, quibus suam ipsorum in perniciem homines abuterentur, næ illi a natura rerum, & a veritate longe aberrarunt. Ut enim temporaria hæc origines rerum repetendi ratio nullo nititur fulcro; illud accedit quoque, poni nullo modo posse; perduellem illum, malumque Genium in caussa esse potuisse, cur aliquam demum homines Divinam crediderint naturam, atque Providentiam; sibique persuaserint a Diis statuta virtutibus præmia, & supplicia peccatis, certam denique opinionem ipsi cur habuerint immortalitatis animorum, diversorumque alterius vitæ statuum & locorum; maximum, omnium quidem sententia, ad bene ordinateque vivendum, & ad honestatem præcipue sectandam, incitamentum. Quare falsum est ejusmodi certe cogitatum, nisi illud interpretemur de corruptione veræ Religionis, ope etiam Dæmonis inducta; de quo nemo dubitabit. Itaque si quæcumque idololatrica Societas cum Societate conferretur Atheorum, dubium nullum est, maximum repertum iri inter utrasque discrimen, posteriori proculdubio minime propitium, & secundum. Illud autem ut probe intelligeretur, oporteret Idololatriam conferre cum Atheismo, non Bæliano

no tamen more, ſed ut in Notis ad Puſendorfium recte animadvertit Barbeyracius, illa in Comparatione, diſtinguere opus eſſet effectus non modo, qui ab Idololatria & Atheiſmo proprie, & immediate procedunt, ab effectibus a natura & conditione Idololatrarum, Atheorumque derivatis; verum etiam Atheos illos, Ethnicosque ponere oporteret iisdem præditos adfectibus, & propenſionibus, iisdemque præterpropter actos principiis, ideis, occaſionibus, & circumſtantiis; quare in ſolo demum Religionis negotio, ii de quibus eſſet actum, opponerentur. Secus enim ſi res eſſet, periculum inde immineret, ne Idololatriæ aut Atheiſmo ea perperam aſſereremus omnia, quæ naturali potius aliquorum propenſioni, & inſtitutioni hominum, moribus Regionum, circumſtantiis aliquibus, ceteriſque cauſſis, quæ nullum cum idololatria, aut Atheiſmo habent nexum, eſſent aſſerenda. Illa autem in hypotheſi, quis tunc ſtatim non intelligit, palmam Religioni (quæcumque illa demum fuerit) eſſe concedendam; quum in quacumque vel imperfectiſſima Religione, tot adhuc reperiantur naturalem ad honeſtatem & virtutem impellentia, quibus caret Atheiſmus? Ovidius Libro Metamorphoſeon octavo, quemdam inducens de Natura Deorum dubitantem, auditores omnes ſtatim fingit ſtupore, & hor-

rore

rore vehementiſſimo perculſos, illiuſque hominis inſana cogitata unanimi conſenſione reprobantes; ſubdens:

Ante omnesque Lelex, animo maturus & ævo,
Sic ait: immenſa eſt, finemque Potentia cœli
Non habet, & quicquid ſuperi voluere peractum eſt.
Cura pii Diis ſunt, & qui coluere coluntur.

Virgilius autem Libro Æneidos ſexto ſceleratorum pœnis & Tartaro deſcriptis, memorandum illud adjicit:

Diſcite Juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Titus Livius Camillum inducit iſta proferentem: *Invenietis, omnia proſpera eveniſſe ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus*. Denique Venuſinus Vates, Libro Carminum III. Ode IV.

Dii multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Ut infinita ejusmodi, etiam clariora, omittamus.

LXXI.

NEC enim falſi ſunt illis Ethnici in teſtimoniis; conſonare enim videntur ipſi Patres, dum de imagine ajunt illorum Capitum apud Gentiles adſervata. Nota ſiquidem ſatis ſunt Prudentii illa, in Apotheoſi:

Et quis in Idolio recubans, inter Sacra mille,
Ridiculosque Deos venerans ſale, ceſpite, thure,
Non putat eſſe Deum ſummum, & ſuper omnia ſolum?
Quamvis Saturnis, Junonibus, & Cytheræis,
Portentiſque aliis, fumantes conſecret aras:
Attamen in cœlum quoties ſuſpexit, in uno
Conſtituit jus omne Deo, cui ſerviat ingens
Virtutum ratio variis inſtructa miniſtris.

Origenes autem contra Celſum diſputans, Libro VII. Adverſario concedit factam fuiſſe etiam ab omnibus Gentilibus beatæ vitæ beatis deſtinatæ animabus mentionem; terramque iſta longe meliorem, Elyſium campum, & Beatorum Inſulas ab Idololatris perpetuo decantatas. Idem habet Juſtinus Martyr, in Cohortatione ad Gentes, idem Tertullianus habet in Apologetico; idem Minucius Felix in Octavio; idem Theophilus Antiochenus; idem denique magnus Johannes Chryſoſtomus, ita ex principiis Gentilium, exque conſtanti & perpetua omnium conſenſione Gentium, de futura vita differens: *Etſi enim tu Gentilis es, hanc tamen Orationem noſtram ſuſcipies. Audis ſæpe Cocytos, & Pyriphlegethonas fluvios, & ſtygis undam, & Tartarum, tantum a terra diſtantem, quantum hæc ipſa diſtat a cœlo. Et ſi enim hæc, ut erant, nar-*

narrare non potuerunt Græci, utpote propriis moti ratiociniis, nec non Traditionibus Nostrorum male acceptis, attamen imaginem quandam Judicii acceperunt. Itaque invenias & Poetas, & Philosophos, & Oratores, atque omne Scriptorum genus hac de re philosophantes. Audis autem & Elysium campum, & Beatorum insulas, & prata, & myrtos, & auram tenuem, odoremque suavissimum: choros item ibi commorantes, amictos stola candida, choreas agentes, atque hymnos quosdam concinentes: ac universim malis & bonis post obitum repositam pro meritis retributionem. Hæc Sanctus ille Pater, in Libro adversus Oppugnatores vitæ monasticæ secundo. Rursus vero, & æque expresse, Concione quarta de Lazaro, scribit: *Ne igitur putemus res nostras hujusce vitæ termino circumscribi; sed credamus fore Judicium, & Remunerationem omnium, quæcumque heic a nobis geruntur. Nam id est adeo manifestum, perspicuumque cunctis, ut & Judæi, & Gentiles, & Hæretici, breviter, quisquis est homo super his consentiat. Quamquam enim non quemadmodum decet de Resurrectione sentiant omnes, attamen de Judicio, deque pœnis, & de Tribunalibus, quæ illic sunt, omnes consentiunt, illic esse aliquam eorum, quæ heic geruntur, Remunerationem.* Adeo verum est, futuræ doctrinam vitæ, diversorumque notionem statuum Sæculi futuri, fuisse, quantum ad con-

tinendam ſaltem Societatem ſatis eſſe videbatur, apud Idololatras quoſcumque adſervatam. Fateor plurima fuiſſe ab eisdem contra virtutis & honeſtatis Leges perpetrata. Verum, non omnia erant, a Bælio præſertim, Idololatriæ tribuenda; quum hominum nemo, magis quam Bælius, demonſtraverit, raro homines ſecundum principia, in quibus ſe verſari profitentur, operari.

LXXII.

SED de Idololatria hucusque, cujus Vindices non ſumus; ſatis enim oſtendiſſe fuit, ejus quoque imperfectum ſane Syſtema ad imperfectionem tamen non accedere Philoſophiæ Moralis Stoicorum. Illis imo, qui ponunt Stoicos, ex vi Syſtematis, & absque ſummis Capitibus Divinæ Providentiæ, & immortalitatis animorum, ad altiſſimum pervenire potuiſſe virtutis & perfectionis gradum, ſolvenda remanent infinita illa ſexcentorum Scriptorum illuſtrium argumenta, quibus ad virtutes non dicam jugiter colendas, & vitia fugienda, ſed præſertim ad inſtituendum continendumque Civilis Societatis ordinem, ſolam non eſſe ſatis honeſtatem cognitam, ſed Religionem aliquam eſſe neceſſariam, iidem clariſſimi Auctores adverſus Bælium oſten-

de-

derunt. Nonne Athei ipsi veteres, & recentiores, Religionem idoneum Politicorum inventum Societati fovendæ dixere perpetuo, dicuntque? Id autem profecto, quod, pro ipsorum etiam cogitandi ratione, possibilis non sit Societas Atheorum. Si autem Atheorum Societas possibilis non est; certe neque possibilis fuisset Stoicorum Societas, qui Athei omnino, & revera erant. Quomodo autem virtute præditi dicantur, qui nullam valent constituere Societatem? Ordo enim Societatis pendet ab eorum probitate, qui constituunt Societatem. Si nullam vero constituere poterant Stoici Societatem; itaque nullam habere poterant, aut conservare felicitatem. Quæ enim felicitas homini esse potest, ubi nullus ordo, nullum Regimen, nulla bene beateque vivendi forma certa, & constituta est? Nec enim jure aliquo quis heic ex Wolfio, in Theologia ejus Naturali, Atheos objiceret Sinenses, possibilitati Societatis cum Atheismo vindicandæ; quod utique nodum solvere nulla posse ratione videretur. Non enim Sinensis Populus, Atheus est, sed quam maxime Idololatra. Nobiliores quidem, quique se ceteris doctiores arbitrantur, Numen liberum & intelligens, distinctumque a materia admittunt nullum; sed sunt sane pauciores illi præ reliqua pene infinita multitudine; nec universam con-

stituunt

ſtituunt Sinenſium Societatem. Verum fac etiam poſſibilis foret Societas ordinata Atheorum, nil proderit illa tamen Stoicis principiis, & opinionibus; oſtendendum ſiquidem primum eſſet, homines ejusmodi in officio contineri imperio & auctoritate idoli imaginarii Stoicorum, illius ſcilicet ſempiternæ, immutabilisque honeſtatis, quæ niſi in inſanorum illorum Declamatorum verbis, nusquam fuit. Quamvis vero cognitionem diſcriminis actus inter juſtos, & iniquos, Rationi humanæ illos apud Atheos aſſereremus, exequutionem tamen, ſive illarum exercitium actionum, omnemque coactionem, Civiles tunc certe ſibi ſolum vendicarent Leges; qua in hypotheſi verum fuerit, quod ad praxim ſaltem ſpectaret, Hobeſianum Syſtema, numquam vero Syſtema Stoicorum. Nam Civilibus in Legibus opus eſſet, (ut proculdubio opus eſſet) Societati hominum illorum continendæ, non exiſteret ergo, neque uſquam ſe ſe offerret, aut alicujus virtutis eſſet, & utilitatis, honeſtas illa immutabilis & ſempiterna, tanta cum auctoritate, tantoque cum imperio, a Stoicis præconcepta, & poſita.

LXXIII.

LXXIII.

SED paucis omnia dicamus. Quid aliud, obſecro, ſempiterna illa, & incommutabilis honeſtas Stoicorum, niſi certe Natura rerum ipſa neceſſaria, cogitatio nempe infinita, mundi anima, Naturæ quidem Lex, ſed a Natura ipſa, ab intellectione, & exſtenſione, & ab infinita unitate, minime diſtincta; ideoque Naturæ illa Lex, infinitaque & immutabilis honeſtas, Carteſianis quidem dicendi modis, ſed ab atheis Spinoſianis propugnata? Ut enim atheum eſt Syſtema Spinoſianum, licet Naturam ſuam illam rerum omnium unam, Deum Spinoſa appellet, eamque ſub adtributorum nomine cogitationis, & exſtenſionis, phyſice conſideret, & prædicet; ita atheum certe eſt, fuitque Syſtema morale Stoicorum, qui Naturam ipſam, unitatem rati, ſed eam moraliter tantum veſtigantes, ſempiternam immutabilemque honeſtatem, in qua auctoritatis unum eſſet, & imperii adtributum, moralibus dicendi modis vocavere. Quacumque enim in Philoſohia, in qua, aut Creatio, aut Agens liberum & intelligens ſaltem, realiter diſtinctum a materia, & ab effectibus, poſitum non eſt, verus adeſt Atheiſmus, ut in ſuo Syſtemate intellectuali Cudworthus ipſe; veterum plurium

Phi-

Philosophorum vindex, fassus est; Stoici autem nec veram Creationem admisere, nec Agens intelligens, & liberum a materia, aut ab unitate, & mundi anima, atque ab effectibus, realiter distinctum; esto ejusmodi de rebus differentes, insanorum more semper declamarent; Athei igitur fuere. Illa namque ab ipsis prædicata sempiterna, & incommutabilis honestas non ponebatur proculdubio creata, aut ab Agente distincto, & libero producta; erat illa itaque increata; non verus ipsa tamen Deus, quia ab idea Dei auferri, aut in ejus consideratione prætermitti adtributa præsertim illa, quæ Stoici negabant, Libertas atque Providentia, non possunt. Erat igitur cœca, ut ita dixerim, rerum omnium natura, sive infinitæ materiæ infinita anima, unitas illa infinita, in quam omnia resolvebantur, oratorio more a Platonicis, more Dialectico ab Aristotelæis, morali prædicata more a Stoicis, Cartesiano a Spinosistis. Vitikius certe, & Buddeus, totque alii celeberrimi Scriptores, apertissime ostenderunt, Spinosam nil aliud veterum Philosophorum Atheismo, quam methodum addidisse geometricam. Si autem Systema ejusmodi formulis prædicatum Spinosianis, nec laudatur, nec admittitur, cur vel in ejus collatione cum doctrina morali Christianorum, admittetur & laudabitur, si tantum velo quasi

quo-

quodam obtendatur formularum Stoicarum, ceu honesto imperitum apud Vulgus numine turpitudinem rei mitigante? In rem vero nostram ita denique ratiocinamur. Sempiterna illa, & immutabilis prædicata a Stoicis honestas metum Naturalis Legis osoribus injiciebat nullum; ubi nullus metus est, nulla vis Legum est; ubi nulla vis Legum est, ordinata Societas esse non potest; ubi ordinata Societas esse non potest, nulla poni potest, aut induci, aut conservari felicitas. Itaque a morali Stoicorum Philosophia, quæ nullum aliud præstat Legum fovendarum medium, quam sempiternam illam immutabilemque honestatem, nullam sperare hac possumus in vita felicitatem. De Stoicorum autem minime perturbato, in perturbatione, & confusione totius Societatis, animo, dicemus suo loco.

LXXIV.

In præsens siquidem de Philosophia morali Christianorum, relate ad ordinem & felicitatem Societatis, a qua privatorum hominum felicitas pendet plurimum, dicendum est. Ponit igitur ejusmodi Philosophiam, Deum summum esse, semperque & ante omnia fuisse, Mentem simplicissimam, omnia scientem, omnia potentem Voluntatem, Rectorem & moderatorem rerum

 omnium,

omnium, actorum Judicem supremum, & Vindicem justissimum legum homini indictarum; Homines ab ipso conditos ad imaginem & similitudinem suam, animas iccirco sortitos esse immortales, ipsum autem unicum omnium finem, quem solo homines consequi poterunt virtutum exercitio, ejusque consequutione beatum indipisci statum illum, qui perfectissimam demum adferat felicitatem: illarum autem virtutum osores ab ipso Vindice, & Judice meritis plectendos esse suppliciis, & pœnis. Relate autem ad Societatem ponit eadem moralis Christianorum Philosophia, hominem, naturali in conditione, tria necessario respicere, Deum scilicet, seipsum, ceteros; quibus quidem quæ officia debentur, diversa quum proficiscantur a radice, tribus nempe ab amoribus, Dei, suimetipsius, & societatis, operationum Naturæ fontibus, ad harmoniam denique, ordinatamque ad proportionem debere amores illos redigi, veram ut Naturæ Legem, & conditionem constituant. Ex tribus autem illis ita ordinatis amoribus, sive illorum ex harmonia amorum, quæ Legum ope Christianarum facile in animum induci potest, ne non ordinatus nostri amor (caussa malorum omnium) ceteris non sibi debito imperio dominetur, pulcherrimus atque felicissimus oritur Societatis status, in quo Civium quisque suam conservare

valeat

valeat felicitatem. Ne vero ordinatiſſima illa Legibus inducta diſſolvatur harmonia, lictores digito monſtrat ſuos Chriſtiana eadem Philoſophia, metum videlicet, & pœnas oſoribus illius harmoniæ, ordinatæque proportionis infligendas, quibus Societatis felicitas in tuto collocata eſſe videatur. En quam belle id totum exprimat Prudentius, Libro contra Symmachum ſecundo.

Nonne hominem ac pecudem diſtantia ſeparat una;
Quod bona Quadrupedum ante oculos ſita ſunt? ego contra
Spero, quod extra aciem longum ſervatur in ævum.
Nam, ſi tota mihi cum corpore vita peribit
Nec poterit ſupereſſe meum poſt funere quidquam,
Quis mihi Regnator cæli? quis Conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ jam merito metuenda Poteſtas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus:
Inceſtabo toros: ſacrum calcabo pudorem:
Inficiabor, habens aliquid ſine teſte propinqui
Depoſitum: tenues avidus ſpoliabo Clientes:
Longævam perimam magico cantamine matrem.

Tardat anus Dominum dilata morte secundum.
Nec formido malum; falluntur publica jura
Lex armata sedet; sed nescit crimen opertum:
Aut si res pateat, Judex corrumpitur auro.
Rara reos justa percellit pœna securi.
Sed quid ego hæc meditor! revocat Deus ecce severa
Majestate minax: negat interitura meorum
Post mortem momenta operum. Non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo; luet ille perenne
Supplicium, quod subjectos male rexerit artus.

Hæc vera est auctoritas, hoc imperium, quod hominum continere valet Societatem, non illud a Stoicis sempiternæ immutabilisque honestatis idolo imaginario assertum, cujus vires formidare homines non poterant, quare in officio permanerent. Relate vero ad Leges in Philosophia Morali Christianorum constitutas, non arbitror perfectiores poni potuisse felicitati Generis humani acquirendæ, & conservandæ; quare nec impii illi, Trypho, Celsus, Porphyrius, Lucianus, Julianus, qui nostra Mysteria oppugnanda sibi constituerunt, & prorsus irridenda, moralibus tamen de Christianorum Legibus perperam sen-

ſenſere. Unus inter recentiores, quem noverim, Bælius, impoſſibilem dixit Chriſtianorum Legibus ſuis addictorum Societatem, quod nempe Chriſtianam minus novit, ut obſervatum a pluribus jam eſt, Bœlius Religionem; præcepta non valens diſtinguere a conſiliis; aut præcepta eſſe ducens, quæ conſilia ſolum erant. Verum nos nec de conſiliis in præſens loquimur, neque de præceptis, ſed de principiis modo Philoſophiæ Moralis Chriſtianorum, relate ad quæ, principia moralis Stoicorum Philoſophiæ inania dicimus, inertia, ſpernenda, inutilia, & inepta prorſus, non ſolum ad conſervandam augendamque Societatis felicitatem, quod hucuſque oſtendimus; ſed, quod præcipuum in Quæſtione eſt, & ſtatim oſtendemus, ad minuendam hominum infelicitatem.

LXXV.

PONATUR reapſe poſſibilis ordinata hominum Societas, ſine principiis Religionis, ſine Legibus etiam Civilibus, neceſſario Societatis vel apud Hobbeſianos retinaculo: ponatur immutabilis illa & ſempiterna Stoicorum honeſtas ſuo cum imperio & auctoritate exiſtere revera: ponatur denique quicquid virtutis neceſſarium homini eſt, ab imperio & auctoritate ſempiternæ illius

incom-

incommutabilisque honestatis, non posse modo, sed etiam revera obtineri; (nec enim negabimus mille nos in præsens Viros, Matronasque admirari, amabili in consuetudine jugiter versantes, quæ morerentur potius, quam te sancte pudor umqnam violent; idque ob decorum illud quod Generis nobilitatem sequitur, ejusque conditionem) quis adhuc tamen jure imaginari potest, sempiternam hanc immutabilem honestatem homines ea posse consolari ratione, qua consolari eos potest spes bonorum futuræ vitæ, vel si bona ejusmodi (per modum hypotheseos id enunciatur) essent etiam imaginaria, & numquam ut ea homo certo præconcipit, futura? Quomodo infelicitatem ita imminuet Philosophia illa, quæ nihil sperandum expectandumque offert, atque illa, in qua summa beata, sempiterna, & perfectissima promittitur felicitas? Qui ad infelicitatis statum minuendum spem non esse necessariam cogitaret, maxime erraret. Quid est enim infelix status, nisi status ille, a quo velles removeri? ergo minuere non potes conditionem illius status, nisi sperando, fore ut ab illo removearis, actus igitur, quo minuis infelicis conditionis statum, est ipsa spes, utin alium feliciorem transeas. Jam vero in fatali illo honestatis sempiternæ & incommutabilis idolo nullum aliud cum Stoicis admitti oportere docemur adtribu-

tum,

tum, quam auctoritatis, & imperii; itaque nullum erit in ea adtributum quod fovere possit spem mutandi illum infelicem statum. Imperium certe, nisi benefaciendi potestate temperetur, solum parit odium, metumque, & pavorem suapte natura injicit; ergo nullum novit elicere amorem, nullam fovere spem, nullam iccirco secum ferre potest jucunditatem, quæ fructus solius amoris est, & utilitatis; utilitas enim acceptum respicere solum potest, aut speratum beneficium, quod nec accipere, nec sperare ab eo potes, in quo nullum aliud sit adtributum, nulla alia potestas, quam auctoritatis & imperii. Hujusmodi autem, Stoicis erat confitentibus, sempiterna illa & incommutabilis honestas; idonea igitur non erat ad minuenda momenta vitæ infelicia.

LXXVI.

FAC autem ex opposito momenta occurrant Christianis molestissima, quæ aut removere nullo modo possunt, aut removere solum possent virtute læsa & honestate. Quid tum illi vero ut illud vitæ tædium repellant, suamque minuant infelicitatem? Præclara illi quidem habent in supernaturalibus Christianæ Religionis veritatibus principia summa, & Capita, e quibus

Œco-

Œconomiæ hujus cognitionem, & infelicitatis originem, haurire ſtatim poſſent, ſeque ſine cauſſa in anguſtiis non eſſe, facillime intelligere. Omiſſis illis tamen veritatibus, quid ipſis eorum modo moralis ſuggerit Philoſophia? Illud ſtatim certe, non omnia morte deſinere, & deleri; ſed alium beatiſſimum futurum hanc poſt vitam ſtatum, virtutis & honeſtatis, veræque Legis Sectatoribus promiſſum; adeoque ab ipſis, ſi in officio permanſerint, brevi acquirendum. Quare elegantiſſime Prudentius, Libro contra Symmachum ſecundo:

Sed facilis Fidei via provocat, Omnipotentem
Credere; qui bona non tantum præſentia donat;
Sed ventura etiam, longiſque intermina ſeclis
Promittit; ne totus eam reſolutus inane
In nihilum, pereamque brevem poſt luminis uſum.
Hæc igitur ſpondente Deo, quis fortis & acer,
Virtutiſque capax, breve quidque perennibus in ſe
Prætulerit? vel quis Sapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quam vivæ præmia mentis?

Nempe, facile tunc Chriſtianos humana docet Ratio, non eſſe illum omnino infelicem, qui exi-

exigua habet momenta infelicitatis, felicitatis vero momenta infinita; sed illum satius omnino infelicem esse; & miserum, qui momenta habet brevissima felicitatis, momenta vero tormentorum, & angustiarum sempiterna. Priores inter novit virtutis Cultores, & infelicis etiam honestatis numerare; iniquos autem alteram ad classem pertinere. Itaque quum nullus sit adeo perditus Christianus, qui veniam non possit, veræ auxilio pœnitentiæ, Deive munere, sperare delictorum; nullus etiam iccirco est, qui post tenebras lucem, & exacta tempestate serenum non possit expectare; nullusque adeo est, qui meditatione illa præsentem non possit lenire dolorem, & momenta vitæ suæ minuere infelicia; quum noverit momentaneum & leve tribulationis, & patientiæ æternorum pondus præmiorum operari; nec esse condignas passiones brevissimi hujus vitæ temporis futuram ad gloriam, quæ perpetuo revelabitur in illis, qui honestatem, ceterasque virtutes erunt prosequuti. Ex hisce autem Philosophiæ moralis Christianorum certissimis principiis, quæ ceu satis constituta & certa, minime sibi demonstranda duxit Maupertuisius, summo tamen jure statuit Vir ille præclarissimus, eisdem mediis, quibus æternam supernaturalemque indipiscimur felicitatem, posse nos æque hujus felicitatem vitæ

augere, aut lenire saltem, & minuere ejus infelicitatem.

LXXVII.

Quid ad hæc tamen doctissimus Zanottus? Duriora sane, & cum Philosophiæ moralis Christianorum effatis minime, ut reor, componenda. Perfectiorem videri quidem regerit Christianorum Philosophiam, quod præstantiora gaudia promittat; illorum tamen expectationem gaudiorum non includi necessario in ratione agendi eorumdem Christanorum. En ejus verba, Capite animadversionum sexto, pag. 282. *Jamque confert Maupertuisius Stoicorum spem cum spe & expectatione Christianorum, quibus incomprehensibilis promittitur, & supernaturalis Beatitudo, quam tametsi remotam veluti respicit Christianus, quodam tamen modo incipit ea frui, dum illa pascitur expectatione. Fateor, relate ad magnificam hanc spem nihili esse ducenda præmia illa, quæ Natura spondet; nec Philosophiam modo Stoicorum, sed sublimiorem etiam a Platonicis inductam, parem esse Philosophiæ Christianorum; qua vigente, confidere illæ numquam poterunt, Sectatores se promissionibus, aut blanditiis, indepturas. Quamvis tamen nobilis adeo, lætaque sit Christianorum expectatio, & idonea magis quam*

dici

dici queat ad inducendam eorum in animos consolationem, caveat Maupertuisius tamen, ne eamdem majore in pretio habeat, quam ipsi Christianorum filii; qui profitentur, ita esse se affectos, ut absque illa expectatione, qua indigere nolunt ad sequendam virtutem, recte tamen adhuc, ordinateque operarentur. Seque tunc solum existimant perfectos, quum ita sunt affecti, ut recte ordinateque operari pergant sine spe illorum præmiorum. Hoc autem proposito ostendunt Christiani, fore, ut, si quando nulla etiam foret æternorum bonorum expectatio, fore, inquam, ut sola virtute essent contenti, servirentque adhuc honestati, quæ Deus est, in solo honestatis cultu votorum omnium compotes effecti. Ita autem quum affecti sint Christiani, ignoro, cur Philosophos illos deberent irridere, qui æterna ignorantes præmia solam honestatem coluere, omnem ab ipsa lætitiam & consolationem haurientes. Quod quidem Christiani etiam præstarent, si cælesti illa carerent & divina expectatione. Ille hucusque, quæ doctissimo sane Viro contra mentem, & casu quodam, excidisse reor; impossibile quum omnino sit fore, ut, ipso connivente, crudelior Christianæ Religionis inimica, Stoicorum Philosophia, inter ipsa Religionis altaria, ipsiusque adeo in conspectu Religionis, ad astra usque extollatur; Christiana vero Religio nobiliore

ſuo pretio, & monili pretioſiore, ſpe ſcilicet præmiorum æternorum, nudata inducatur, quo humilior, deformior, & vilior, coram laudata inimica videatur. Et revera eam non eſſe, quam allegata ejus verba præferunt; mentem præclariſſimi hujus Viri nulla ratione dubitabimus, ſi ea animadvertemus, quæ Capite ſcripſerat antecedenti, nempe quinto, ubi Maupertuiſio occurrens admiranti, quod quum Stoici morum Regulam ſine Religione conſtituiſſent, hac tamen indigerent Chriſtiani, quo vivendi normam figerent, optime ſapientiſſimeque ſtatuit Zanottus, *Chriſtianos dare non modo operam ut virtute præditi ſint, fortes, juſti, temperantes, manſueti, liberales, humaniores, quemadmodum olim Stoici, ſed ipſos æque velle, ut virtutes ejusmodi ſe ſe ſupernaturalem ad ordinem & habitum erigentes, ipſos cæleſti incomprehenſibilique præmio dignos efficiant, ad quod naturæ viribus pervenire numquam potuiſſent: tam beata ſpe Stoicos non fuiſſe actos, naturalem iccirco ſequutos tantum honeſtatem: aſt Chriſtianos ex oppoſito ea nec poſſe, nec debere contentos eſſe, optantesque virtutem ſuperiori ordine donatam ſuperioribus ejus in inquiſitione uti mediis, adeoque in figenda morum regula, voce, invitatione, & promiſſis Numinis eosdem indigere.* Qua equidem in re egregie, ſapientiſſime, optime ſcribit præſtantiſſimus

hic

hic Vir. Verum, quomodo obſecro hæc parum adeo diſſita cohærere poſſunt, Chriſtianos nempe *nec debere*, *nec poſſe* ſola honeſtate naturali eſſe contentos, ipſoſque *voce*, *invitatione*, & *promiſſis Dei* indigere; & Chriſtianos *profiteri ita eſſe ſe affectos*, *ut expectatione Bonorum æternorum indigere nolint*, quo virtutem oppido ſequantur; ipſoſque *tunc ſolum ſe ducere perfectos quum ita ſunt affecti?* Numquam ſane datum mihi fuit intelligere quonam pacto hæc adeo oppoſita conciliari poſſe videantur; etſi id quam maxime optaſſem. Qui enim indiget voce, invitatione, promiſſis Dei, quique nec debet, nec poteſt ſola naturali eſſe contentus honeſtate, ille certe numquam proteſtari poterit non indigere ſe voce, invitatione, promiſſis Dei, neque imaginari ſe tunc demum evadere perfectum, quum ita affectus eſt, virtutem ut ſequatur ob illius pretium, & abſque voce, invitatione, & promiſſis Dei; quod utique Chriſtianorum cum Syſtemate componi non poteſt. Non enim heic de Stoicorum præceptis ſermo eſt, quæ alii æque cum præceptis noſtris contulerunt; ſed ſermo eſt de principiis Stoicæ ipſius Philoſophiæ, aut verius, de principiis Philoſophiæ moralis Chriſtianæ, quibus carebat Philoſophia moralis Stoicorum. Chriſtianiſmum ne igitur imaginabimur omittentem expectationem bonorum æter-

ter-

ternorum? Christianam Philosophiam absque spe bonorum futuræ vitæ? Christianorum Systema non includet neccessario & semper præmia & pœnas seculi futuri? Sed ut hoc cogitatum est sane, a veritate alienissimum; nonne sapientissimum Zanottum animadvertere adhuc oportebat, ejusmodi hypothesi, extra hypothesim se Maupertuisii differere, & opposita ponere Principia, iis, quæ summo jure Maupertuisius præconceperat? Prætermittit iste quidem Mysteria Fidei nostræ supernaturalia; & Christianismum, ceu Sectam, ut olim habebatur, Philosophicam proponit infelicitati vitæ minuendæ; verum in moralis adhuc Christianæ Philosophiæ Systemate expectationem præmiorum alterius vitæ, ceu necessarium Caput; includi summo jure arbitratur. Inquirens enim Maupertuisius; quænam ex duabus illis moralibus Philosophiis Stoicorum quidem alia, alia Christianorum, aptior sit infelicioribus humanæ vitæ momentis minuendis; animadvertensque, in priori nullum proponi præmium expectandum, nullam spem, nullam gaudiorum expectationem; in altera vero summam proponi sperandam, expectandamque probis felicitatem; legitime inde Gallus Auctor consequutus est, hanc idoneam esse ad finem illum obtinendum, secus vero illam. Quid tunc Cl. Zanottus? Inducit Christianos protestari non verentes,

tes,

tes, illorum se expectatione præmiorum indigere nolle, quo virtutem sequantur, recteque & ordinate operentur; seque ita affectos esse, ut, etiamsi nulla foret bonorum æternorum expectatio, virtuti adhuc tamen servire vellent, eaque sola forent contenti; imo (quod maximum erratorum est) tunc solum se perfectos ducere Christianos, quum ita affecti sunt, ut absque expectatione illa servire pergant honestati. Hoc autem idem prorsus est, ac si quis contra Cl. Zanottum de Philosophia morali Stoicorum disputaturus, induceret Stoicos, aperte protestantes, sempiterna illa & incommutabili honestate se indigere nolle, quo secundum virtutem operentur; tuncque solum perfectos eosdem ducere se Stoicos, quum ita sunt affecti, ut recte agant, quin ad illam respiciant sempiternam & incommutabilem honestatem. Quod lepidum sane disputandi genus lætam præberet Lectoribus materiam. Inducuntur autem Christiani loquentes, ceu præmiorum alterius vitæ expectatio, quid, ut ita dixerim, accidentale esset, & superadditum in Systemate Philosophiæ moralis Christianorum; staretque adhuc Christianorum Philosophia moralis, absque illa spe, & expectatione. Verum, ut hypothesis ejusmodi facto repugnare apertissime videtur, quum maxima Christianorum pars & copia vix ita affecta sit,

ut

ut præmiorum æternorum expectatione, illecebra, & spe, ad virtutem adhuc perpetuo trahatur, metuque æternorum suppliciorum semper retrahatur a peccato; abest adeo ut virtuti absque divino præmio serviret; illud accedit quoque, Cl. Zanottum, Stoicorum Philosophiæ quo majus conciliaret decus, prætermisisse in consideratione Philosophiæ moralis Christianorum, quod non omnino erat omittendum; si enim prætermittere Christiani possent expectationem futuræ vitæ, & præmii virtutis, non esset tunc certe, cur contemnere, aut irridere pergerent Philosophiam moralem Stoicorum.

LXXVIII.

Noverint tamen, intelligantque quicumque heic abuti vellent auctoritate Cl. Zanotti, expectationem cælestium præmiorum omitti nullo modo posse in Systemate Philosophiæ moralis Christianæ. Nam etsi homines, quatenus tantum rationales sunt, suos semper Rationi conformare actus teneantur, tenerenturque adhuc, si nulla foret Christiana, aut alia, Religio; quare protestari tunc jure possent, imo & deberent, sequi se virtutem, & honestatem amore ipsius virtutis, atque honestatis; statim tamen atque ponimus, ipsos esse Christianos, quum non possint illam agendi caussam, scilicet tunc ob præmium,

mium, prætermittere, nec etiam tunc profiteri possunt illa se caussa, illoque præmio, minime indigere. Christianum enim protestari se illa non indigere recte ordinateque agendi caussa, idem prorsus esset, ac Christianum protestari se non esse Christianum; quod sane contradictorium foret. Quacumque revera ætate, quocumque tempore, quocumque in statu, beata illa gaudia sibi esse respicienda Christiani credidere. Canunt siquidem Christiani quotidie illa Psalmi CXVIII. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem*. Legunt illa Matthæi V. *Merces vestra copiosa est in cœlis*. X. *Mercedem Justi accipiet .... Non perdet mercedem suam*. Norunt illa Paulli, ad Hebræos II. de Moyse scribentis: *Aspiciebat in remunerationem*. Ad Philippenses III. *Nostra conversatio in cœlis est*. I. ad Colossenses I. *Propter spem quæ reposita est vobis in cœlis*. Heinc illa Apostoli ejusdem, II. ad Timothenm I. *Scio cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem*. Mentibus insculpta habent Christiani semper illa Johannis Epistola II. *Ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis;* illaque Apocalypseos II. *Reddere mercedem servis tuis Prophetis*. Mentibus æque insculpta habent ea Liturgicis in Libris universa ab Ecclesia, & Generalibus in Conciliis repeti-

ta, Sanctos nempe omnes tanta passos esse crudelissima tormenta, ut tuti & certi pervenirent ad palmam beatissimam Martyrii: tradidisse corpora sua propter Deum ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini; permansisseque immobiles, vitæ perennis gratia. Recitant quotidie Symbolum Christiani, quo se credere profitentur *remissionem peccatorum & vitam æternam*; & expectare *vitam venturi Sæculi*. Vitam hanc autem æternam ea se profitentur ratione credere, qua *Deum Omnipotentem Creatorem cœli & terræ*. Ut autem insaniret qui in Systemate Christianorum prætermitti posse crederet Caput de Deo Creatore, ita valde erraret, qui imaginaretur consistere posse Philosophiam moralem Christianorum, sine Capite æternum præmium respiciente. Quorum caussa est, quod quum non aliud sit illud præmium, & illa merces, quam Deus ipse, sive ejus Visio & fruitio, in qua sita est beatitudo hominis æterna, si Christianus posset sine crimine prætermittere expectationem illius mercedis, posset Christianus sine crimine Deum prætermittere: quod nefas cogitatu. Ad hæc, sicut sine fide, ita sine spe, impossibile est placere Deo: spes autem Christiana in nobis præstat, ut, intuitu retributionis futuræ, virtutes amplectamur, & sequamur; est enim spes, futurorum expectatio bonorum ex dono Dei, & ope-

operibus virtutum. Hoc imo ſpes includit, ut bona illa alterius vitæ, ſub ratione mercedis, Deo ſic jubente, expectentur; hoc autem quum credere fide debeamus; illud debemus ſpe Chriſtiana expectare; qua de re Theologi conveniunt univerſi. Si Chriſtiani igitur proteſtarentur, ſe ad bene operandum indigere nolle præmio; itaque tunc proteſtarentur, ſe ad bene operandum indigere nolle Deo. Sique proteſtarentur, ſe tunc ſolum perfectos eſſe, quum bene operantur, nulla habita ratione æterni præmii; itaque & proteſtarentur, ſe tunc ſolum perfectos eſſe, quum bene operantur, nulla habita ratione Dei. Quæ ſane non video, quomodo cum perſpecta Cl. Zanotti pietate, ejusque recta cogitandi ratione, conciliari poſſe videantur.

LXXIX.

ABEST vero adeo, ut ſe Chriſtiani tunc ſolum exiſtiment perfectos, quum ita affectos eſſe ſe intelligunt, ut, abſque expectatione illa præmiorum æternorum, ſecundum virtutem adhuc agerent, & honeſtatem, (quæ eſt Adverſarii ſententia) ut imo ex oppoſito Sacris in Litteris ii nobis, ceu virtutis cultores propter retributionem deſignentur, qui iisdem Sacris in Litteris ſanctiores veluti ceteris, perfectioresque

commendantur; & quos constat virtutem perfectissimo amore coluisse, Abrahamum nempe, Moysen, Davidem, Apostolosque, qui relictis omnibus, & sequuti Christum, quum ab ipso petiissent, *quid ergo erit nobis?* ampliorem ipsis spopondit Deus præ aliis mercedem. Matthæi XIX. Quo Stephanus consolaretur, & alacrior efficeretur ad Martyrium, *vidit gloriam Dei*. Act. VII. Dorothea pro Christo moritura, *gratias*, inquiebat, *tibi ago, quia me ad Paradisum tuum vocasti;* idemque eodem in statu præstitit erga Deum Laurentius, subdens: *Quia januas tuas ingredi merui*. Exemplar omnium imo perfectionum Christus nonne proposito sibi gloriæ gaudio Crucem sustinuisse dicitur ab Apostolo ad Hebræos XII. quo nobis ostenderet beatam illam gloriam semper præ oculis habendam? Imo quanam de caussa Christianorum Deus beatos, Matthæi V. dixit *pauperes spiritu, mites, misericordes, pacificos, mundos corde, eosque qui aut lugent, aut esuriunt, & sitiunt justitiam, aut ejus caussa persequutionem patiuntur?* Num fortasse quod, ita quum sint affecti, virtutem sequantur, ejusque sint pulchritudine contenti? Num fortasse quia nullo indigere nolunt præmio, nulla indigere nolunt bonorum æternorum expectatione, ut in illis virtutibus versentur? Minime sane gentium; sed quia iidem demum

con-

consolabuntur, *saturabuntur*, *misericordiam consequentur*, *filii Dei vocabuntur*, *possidebunt terram*, *Deum videbunt*, *ipsorumque futurum sit Regnum Cælorum*, merces tot virtutum copiosissima. Mirum certe, si dum Christus, Apostoli, omnesque Sancti Patres, hortantur, Christianos Cœlestem ut patriam jugiter respiciant, quo perfecte agere in vita possint; aliquis eosdem tunc perfectos appellaret, quum ingratissimorum instar Hebræorum *pro nihilo haberent terram desiderabilem*. Psalmo CV.

LXXX.

SED jam mihi videre videor, cur Zanottus, cetera doctissimus, in hunc lapsus sit errorem, ut expectationem vitæ æternæ prætermitti posse existimaverit in Philosophia morali Christianorum. Nempe, fando aliquid, forte ejus pervenit ad aures, non unum esse amorem Dei Theologicis in Scholis predicatum; sed alium amicitiæ, & benevolentiæ; alium vero concupiscentiæ appellari; illum vocari amorem super omnia, & Deum respicere quatenus in se bonus perfectusque est; posteriorem vero, Deum respicere quatenus bonus nobis est, nostrum præmium, nostraque beatitudo, & æternæ felicitatis caussa; priori autem illi amori nobiliorem tribui perfectio-

ctionis gradum, quam posteriori; hæc, inquam, aut similia obiter fortasse a Viro præstantissimo audita; quorum ille Mysteriorum expers, quid demum sibi persuasit? Persuasit certe sibi, priorem illum amorem, quo Deus diligitur tamquam in se bonus & perfectus est, non includere amorem alterum, quo Deus idem diligitur tamquam nostrum præmium, felicitas, & beatitudo est, ceu dari posset verus Dei amor sine expectatione bonorum æternorum; illum autem amorem quo Deus diligitur, ceu æternæ nostræ felicitatis caussa, arbitratus proinde est, amorem esse mercenarium. His autem positis falsis imaginibus, consequutus est, fore ut perfectiores essent Christiani, si absque mercenario illo amore, non dixit Deum, ceu in se bonum tantum; sed, quod deterius est, sequerentur honestatem tantum, & virtutem; fore tunc, inquam, perfectiores, quam si recte ordinateque operentur æternorum acti expectatione præmiorum. Verum ejusmodi tum in positionibus, tum etiam in consequutionibus, vident vel in solis Christianæ Religionis Elementis initiati majore numero errata esse, quam verba. Falsum enim præconciperet Zanottus, si fortasse præconciperet, amorem, quo Deus diligitur, quatenus in se bonus est, separari ab amore posse quo diligitur Deus, quatenus nobis bonus est. Falsum est, amorem quo

dili-

diligitur Deus quatenus nobis bonus eſt, eſſe mercenarium amorem. Falſiſſimum, ne quid valde pejus adſeram, denique eſt; perfectiores eos eſſe qui creaturam, ſive virtutem amant, quatenus honeſta eſt, quam qui amant Deum, quatenus nobis bonus eſt. Itaque perfectiores non erunt Chriſtiani qui bene agunt ſine expectatione mercedis, quæ Deus eſt & ob amorem ſolius honeſtatis, quæ res creata eſt; non erunt, inquam perfectiores iis, qui recte ordinateque operantur non intuitu ſolius virtutis, quæ res creata eſt, ſed intuitu illius mercedis & præmii, quod Deus eſt.

LXXXI.

AMOREM revera Dei, quatenus bonus in ſe perfectuſque eſt, amorem vocant amicitiæ. Aſt quomodo poni amicitia poteſt, ubi mutuus amor non eſt, & communicatio etiam bonorum? Sed & amicorum eſt quod quærant invicem perfrui, ut D. Thomas ait in *III. Diſt.* 29. *Quæſtione II. Art.* 4. itaque, ut ille infert, perfectus Dei amor deſiderium, & expectationem felicitatis ſecum habet; nec hujuſmodi ſpes, & expectatio mercenarium amorem efficit, quum Deus ipſe ſit merces amoris, non aliquid a Deo diverſum. Non enim mercenario amore Deum diligebat

Paul-

Paullus, qui ad Philippenſes III. beatitudinem tamen *lucrum* appellavit; nec erubuit II. ad Timotheum IV. illa ſcribere: *tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.* Scilicet, ut allegato loco, animadvertit Sanctus Præceptor, duo ſunt Mercenariorum genera, unum eorum qui propter bona temporalia virtutem ſequuntur. Hi autem & veri Mercenarii, & veri amoris erga Deum expertes. Aliud eorum, qui recte & ordinate agunt propter hæreditatem, incorruptibilem, incontaminatam, & immarceſcibilem, conſervatam in cælis, ut phraſi utar Apoſtoli Petri I. 1. Hi autem aut non Mercenarii, aut ex iis ſunt, quibus abundat cæleſtis Dei domus, ut innuit Lucas Capite XV. Rectiſſime Auguſtinus, Sermone CCCXL. Edit. Maur. *Quia gratis amamus, quia oves paſcimus mercedem quærimus. Quomodo convenit, gratis amo ut paſcam, & mercedem poſco, quia paſco? nullo modo fieret hoc, nullo modo merces quæreretur ab eo qui gratis amatur, niſi merces eſſet ipſe qui amatur.* Amor igitur Dei, ceu in ſe boni & perfecti, non excludit amorem Dei, ceu boni nobis; ſed ſunt ejusdem amoris diverſi gradus, quorum perfectior minus perfectiorem ſecum adfert.

ſert. Sed altiſſima hæc Myſteria non ultra Philoſophica in Quæſtione profanabimus. In rem noſtram animadvertere modo eſt, perperam ab Adverſariis, ſtatui, non ſolum poſſe a Chriſtianis prætermitti bonorum cœleſtium expectationem atque ſpem, ſed etiam illos appellari perfectiores, qui eam prætermittunt. Nam ſi Pſeudomyſtici a Theologis, a Patribus, ab Eccleſia, & a ſenſu, ut dicitur, communi omnium, damnantur, quod iidem, amorem Dei in ſe boni, diſtinguentes ab amore Dei nobis boni; priorem ſolum admittendum ducunt, non vero poſteriorem, quem vocant mercenarium; quam invidioſior ſit oportet, obſecro, opinio, quæ perfectiorem ſtatuit illorum conditionem Chriſtianorum, qui virtutem & honeſtatem propter ejus pretium ſequuntur, conditione Chriſtianorum illorum, qui ſecundum virtutem agunt propter præmium, nempe Deum? In illo enim Syſtemate Pſeudomyſticorum, etſi male amor Dei rejicitur, quatenus eſt præmium, & bonum nobis; requiritur tamen, tamquam neceſſarius, Dei amor in ſe boni & perfecti; quare Deus eſt adhuc ſemper qui diligitur; nec omitti illo in Syſtemate videtur amor præmii, niſi ob amorem Dei. Aſt ſi ob amorem virtutis omittimus amorem præmii; tunc ob amorem creaturæ omittimus amorem Creatoris; ſcilicet ob amorem

virtutis omittimus amorem Dei ; quum non aliud præmium in Philosophia morali Christianorum poni, nisi Deus possit.

LXXXII.

VERUM, inquiebat doctissimus Zanottus, Christiani se ita affectos esse profitentur, fore, ut sine præmiorum æternorum expectatione *honestatem, quæ Deus est*, adhuc sequerentur, suam in ea indepturi felicitatem. Idque iterum repetit eodem in Capite, scribens, *Stoicum præceptum de honestate ceteris omnibus præferenda, non adeo contrarium esse præcepto Christianorum*, Diliges Deum super omnia, *hoc est ceteris omnibus præferes Deum, quia Deus honestas ipsa est*. Sed quid hoc nam rei est, *honestatem Deum esse* apud Christianos ? Deus erat illa quidem Stoicorum, apud quos, Deus, Fatum, Fortuna, Providentia, æterna rerum colligatio, sempiterna & incommutabilis honestas, ceteraque ejusmodi, nomina erant diversa tantum ejusdem omnino rei ; sed non posset esse Deus Christianorum, nisi honestas illa immutabilem non modo haberet essentiam, verum etiam intelligentiam, voluntatem, vim creativam, & a quacumque re creata distinctionem, beneficentiam, liberalitatem, ceteraque adtributa, quæ in idea profecto solius honestatis non reperiuntur. Ne-

Neque enim propoſitioni illi vindicandæ *Honeſtas Deus eſt* , aliquis heic mihi Johannis illud velim adferret: *Deus Charitas eſt*. Helleniſticam enim, hoc eſt hebraicam Anomaliam in eo quis ignorat ? Adjectiva enim per ipſamet ſubſtantiva non ſemel exprimunt Hebræi, de quo exempla apud Grammaticos illius Linguæ infinita ; quare ſenſus eſt; Deus charitatem habet: & revera ſtatim ſubjicit ſequenti commate Johannes; *in hoc apparuit Charitas Dei in nobis*, *quoniam filium ſuum Unigenitum miſit Deus in mundum*, *ut vivamus per eum : in hoc eſt charitas*, *quoniam ipſe prior dilexit nos*, &c. Sexcentique Interpretes locum illum Epiſtolæ Johannis ſignificare ajunt ex Deo Charitas eſt, vel, Deus Charitatis auctor & donator eſt ; eadem anomalia, qua Pſalmiſta dixit : *Dominus fortitudo mea* , *illuminatio mea*, *ſalus mea* . *Tu es patientia mea*, *tu es ſpes mea* , *tu es expectatio mea ;* quamvis hæc poſteriora magis objective dicta eſſe videantur . Certe Deus , ut Theologi docent , Charitas tum formalis & increata , eaque vel eſſentialis, vel notionalis eſt , tum cauſſalis & creata, idque per omnia cauſſarum genera . Verum ut eſſentialiter Charitas a Chriſtianis Deus dicitur , vix dici poteſt ſubſtantialiter honeſtas , quum non aliam honeſtatem noverunt umquam Chriſtiani, quam creatam illam relationem quæ

in rebus ipsis est creatis; & quamvis essentiam tribuant honestati suam, numquam tamen eam Deum esse crediderunt; quare quum suos actus intelligunt Christiani conformationem habere cum humana Ratione, Legibusque Divinis & humanis, virtutem se quidem & honestatem consequutos, non tamen Deum, arbitrantur. Quoniam vero intelligo heic nonnulla explicanda esse a Cl. Zanotto non animadversa, sciendum est, uti nunc apud nonnullos Recentiores, ita olim apud Veteres, duo de Doctrina Juris & morum obtinuisse, diversa quidem inter se, in Ateismum tamen collimantia utraque, Systemata. Epicurus siquidem Legem Naturæ admittebat nullam, ut satis notum, innuitque Cardinalis Poliniacus, Libro contra Lucretium primo:

Nam quod in his rebus genitrix Natura ministrat
Humano Generi lumen, te Judice, vanum est;
Ipsa tibi cum lucis inops, & cæca putetur.
Hinc scelus in tenebris admissum, obscuraque virtus
In pari erunt pretio, pendebit utrumque vagantis
Arbitrio Vulgi, nec erit nisi nomen inane.

Heinc nullam quum admitteret Epicurus Naturæ Legem, nullum etiam admittebat Deum.

Stoi-

Stoici ex opposito, quum unam illam rebus omnibus intrinsecam, infinitamque admitterent Naturam, quam Deum, fatum, fortunam, Providentiam, necessitatem, & concatenatarum seriem rerum appellabant, Naturæ etiam Legem admisere, sempiternam scilicet incommutabilemque honestatem; moralibus hisce dicendi modis animam tamen Mundi, sive infinitam cogitationem infinitæ materiæ cognatam, denotantes. Hobbesiani, inter recentiores, quique Societatem omnem, & Jura inventa metu statuerunt, nullam admittentes aliam Naturæ Legem, quam amorem proprium necessario Legum Civilium vinculo frenatum; ejusmodi, inquam, homines vere & proprie Legem Naturæ admittunt nullam, quam inter recentiores tamen admittunt ii, quos Naturalistas sive Spinosianos appellamus; ea ratione tamen Naturæ Legem admittentes, qua etiam Deum, quem quum exstensione donent, & intellectione, exque proprietatibus componant corporeis, sensibilibus; & intelligibilibus, quæ omnes unum faciunt; hujusce inde unitatis ex visceribus, uti materiam, ita etiam prodiisse intellectum, prodiisse animam efficacem, prodiisse Naturæ Legem ponunt, quæ idem sit cum Natura tamen, cum efficaci anima, sive mundi, cum intellectione, cum exstensione, & cum unitate, quæ Deus.
Ut

Ut igitur Stoicus, & Spinosianus homo honestatem sequutus, jure diceretur suum sequutus Deum, quod non alius sit ipsis Deus, quam Natura rerum, morali consideratione, immutabilis & sempiterna honestas appellata; ita de Christiano homine solam sequuto honestatem, dici numquam potest, ipsum tunc suum sequi Deum; quum Christianus Deum a natura perpetuo distinguat, Deumque extramundanam, ut ita loquar, sive supramundanam intelligentiam esse credat, & a relationibus, quas ad perfectiones & adtributa illius Intelligentiæ res creatæ habent, Intelligentiam ipsam apertissime secernat. Itaque si omissa infinitæ illius Intelligentiæ consideratione, suam Christianus figeret mentem in meditatione solum pulchritudinis creatæ relationis, nempe honestatis; si solam honestatem sequeretur, si sola contentus esset honestate; hujus quidem amore ipsum rapi jure diceremus, non autem Dei; illam sequi, sed non Deum; illi servire; sed non Deo; illa denique contentum esse, non vero divinorum agi expectatione præmiorum; adeoque nec operari tunc juxta decreta Philosophiæ moralis Christianorum; qua in hypothesi, quomodo contra Maupertuisium poterit differere Zanottus?

LXXXIII.

LXXXIII.

VERUM non despondet hic animum, sed pergit magis, & Capite Animadversionum VI. pag. 279. ita scribit: *Si Christianus nil aliud quærens quam Deum, beatam acquirit animi tranquillitatem, quare eamdem non consequetur animi tranquillitatem etiam Stoicus, non alia de re sollicitus, quam de honestate?* Quam quidem interrogationem suam posset Cl. Zanotti Vindex aliquis vehementer ex iis confirmare, quæ nos in limine statuimus hujusce Disceptationis. Distinximus quippe formalem ab objectiva felicitate; hancque variam esse posse diximus, pro vario hominum, & temporum, statu, & desiderio; illam vero in animi tranquillitate sitam omnino esse. Si igitur Stoici desiderium circa honestatem solum versaretur; uti desiderium Christiani hominis versatur circa Deum; tunc certe Stoicus virtutem & honestatem consequutus, deberet esse felix, ea ratione qua felix est Christianus consequutus Deum; aut ea ratione qua hic nil aliud quærendo quam Deum, beatam acquirit animi tranquillitatem; ita & Stoicus non alia de re sollicitus quam de honestate; etiamsi ejusmodi exercitium honestatis infelix esse videretur; quia nullam esto tunc volupta-

luptatem adferret ſecum corpoream, adferret ſemper tamen Stoico animi voluptatem, nempe animi tranquillitatem, quam felicitatem formalem appellamus; adeoque honeſtas, quamvis infelix, vera felicitas Stoici objectiva eſſet, illiusque proſequutio bonum ejuſmodi eſſet, ut nullum amplius, beatiuſque excogitari ab eo poſſet. Conſequeretur enim tunc Stoici voluntas quod maxime conſequi optavit, expleretque ſe in exercitio infelicis etiam virtutis, quo tamquam ſummo flagravit bono; quare illo in exercitio, vel ex illo, animi quies & tranquillitas, ſive perceptio, ſenſatio, aut conditio, a qua æternum Stoicus removeri nollet, adeoque vera eſſet, & optima felicitas. Majorem ſiquidem voluptatem conſequitur Stoicus ex carentia gaudiorum, quæ nullum habent cum honeſtate nexum, quam ex gaudiorum conſequutione conſequeretur; aut majori ſe affectum intelligere poteſt voluptate, dum ejuſmodi carere optans gaudiis, illis reapſe caret, quam ſi, illis carere optans, ea adhuc tamen conſequeretur. Non enim quod in ſe bonum eſt, nos afficit ſemper, & felices reddit, ſed quod bonum nobis in tempore aprehendimus. Nam & maxima triſtitia affectis nullum advenire objectum magis ingratum poteſt, quam ſuapte natura hilare & lætum; neque mœſtis auribus inſuavior ſenſatio, quam dulcis cantus, in ipſa

ipsa veluti mœstitia, & in tristium consideratione objectorum, qui infortuniis aliquando maximis premuntur, dolorem lenientes suum. Da imperium amanti, illud amicæ postponet. Da Venerem Alexandro, eam postponet victoriæ oppidi resistentis. Stoico igitur in animo nulla excogitari potest vehementior voluptas, quam omnibus, præter honestatem, carere gaudiis & bonis; sola siquidem honestas, quamvis omni carens spe, omnibusque voluptatibus & bonis, eam inducere valet Stoicorum in animum quietem, & tranquillitatem, quæ formalem, & veram constituit felicitatem. Nulla autem excogitari potest voluptas animi excellentior, vera & perfecta felicitate. Quæ a nobis excogitata & adjecta sunt opinioni præstantissimi Zanotti illustrandæ.

LXXXIV.

VERUM, tametsi de distinctione illa formalem inter, & objectivam felicitatem nullo pacto dubitandum esse videatur, dubitandum tamen est, an sola honestas, quæ nullum adlatura sit fructum, nullumque præmium, esse possit felicitas objectiva, & caussa efficiens felicitatis formalis, in homine juxta præsentem statum & conditionem suam considerato. Si enim castremus & decorticemus hominem, (quod olim

a Stoicis factum circumfertur) sique amorem proprium, & amorem naturalem suæ felicitatis ab ipso auferamus, tunc pervium erit imaginari, solam honestatem, dempta quacumque spe, quacumque voluptate, quacumque utilitate, posse esse felicitatem ipsius objectivam, sive efficientem caussam felicitatis formalis & perfectæ animi tranquillitatis. Ast si hominem, anima & corpore præditum consideramus, & quatenus revera est, vix crediderim effici ipsum felicem posse in prosequutione Objecti, nullam secum ferentis spem, nullam voluptatem, nullam utilitatem. Imaginari homines quippe ab omnibus quos novimus diversos, imaginari est homines imaginarios, & rationem cogitandi imitari illorum medicorum, qui præconceptis aliquibus arbitrariis in homine humoribus, & partibus, inveniunt statim in veneno remedium, & in remedio venenum, quod ejusmodi certe non est relate ad veros humores in homine existentes. Si enim quodcumque etiam, quod contra nativam totius humanæ naturæ propensionem desideratur, rationem habere debeat objectivæ felicitatis, & idoneum sit ad inducendam felicitatem formalem: itaque & Barbari se vel gloriæ cupiditate, vel mœrore occidentes, caussam felicitatis suæ dixerint autocheiriam, quæ solum effectus tamen est ipsorum infelicitatis. Non negave-

gaverim nil se se objicere ingratum magis tristitia maxima affectis, quam quod suapte natura hilare est & lætum; ast ut notio lætitiæ non ab eorum statu sumi debet, qui sunt tristitia maxima affecti, sed ab eorum conditione, qui vero in gaudio versantur; ita notio felicitatis, sive felicis conditionis, non ab eorum statu debet sumi, qui nullas explere possunt animi affectiones, sed a statu eorum qui desideria satiare valent in homine innata. Palato etiam non sano pœna est panis, qui sano est suavis; & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis; nec ab ejusmodi bonis homines abhorrent; nisi perseverante in ipsis corporis, animique ægritudine. Imo & ægri non defuere, qui fame mori voluerunt. Ast da mihi integrum, si vales Populum, totamque Nationem, quæ se fame mori patiatur? quare non ex ægro indiferentia eruenda est naturæ erga cibum, aut aversio ab illo; sed potius ex universis Nationibus & Populis naturæ propensio erga cibum. Vel igitur ponimus Stoicos iisdem actos affectionibus quibus ceteri Mortalium; vel aliam & omnino oppositam in ipsis ponimus Naturam? Si postremum hoc arbitrario præconcipimus (arbitrario dixi, quia quæ Stoici de sua ipsorum Apathia dicebant, pulchra quidem verba erant, sed tamen verba; neque enim eo pervenire potest hominum Natura;

imo neque ipsos se passionum expertes credidisse, mox ostendemus.) Illud, inquam, si arbitrario præconcipimus; tunc sane ita animi tranquillitatem indipisci poterunt sola prosequutione honestatis, uti ceteri mortales prosequutione felicioris status maxime optati. Ast ut imaginaria erit æque illa felicitas; illud quoque accedit, Philosophiam moralem Stoicorum numquam conferendam esse cum Philosophia nostra, quæ objecta proponit desiderio humanæ Naturæ congruentia; quum Philosophia contra Stoicorum Objectum proponat homini, non in rerum natura existenti, sed tantum beneficio mentis possibili, respondens. Quod si Stoicos ejusdem esse generis cum ceteris omnibus Mortalibus semel præconcipimus; tunc vero dicimus non adeo posse ipsos tranquillitatem animi indipisci solius prosequutione sempiternæ immutabilisque honestatis, uti tranquillitatem animi acquirunt Christianorum filii amore, spe, & prosequutione futuri præmii & Dei; quum sempiterna & immutabilis honestas Stoicorum iis careat adtributis, quæ Christianorum Deus possidet, iis adtributis, quæ valeant inducere in hominis animum tranquillitatem, adeoque ipsum felicem efficere, aut minus saltem infelicem. Non enim felices, aut infelices minus, effici possumus, nisi amore, spe, aut utilitate. Jam vero quum Deus sit omnino

ama-

amabilis, atque nos etiam amet, noſtrum fovere poteſt quam maxime amorem; quumque Deus ſummam homini promiſerit felicitatem, ea poteſt ratione hominis fovere ſpem; quum denique Deus ſit beneficentiſſimus, omnem inde a Deo expectat Chriſtianus utilitatem; cujus expectatione tranquillitas inducitur; aut, ſi in anguſtiis verſetur animus, futuræ illius meditatione felicitatis, momenta minuit hujus vitæ infelicia, ſuamque ſaltem lenit infelicitatem. Quid enim amor Dei, & præmii, in Chriſtiano, niſi perfectio, & complementum naturalis deſiderii felicitatis, ut prima parte, quæſtione ſexageſima ſecunda, articulo ſeptimo, egregie evincit Divus Thomas? Oppoſitum evenit in Philoſophia morali Stoicorum, ſive his carent omnibus Philoſophi illi ſolam inquirentes honeſtatem. In illa ſiquidem, quam præ oculis ſemper habent, ſempiterna & incommutabili honeſtate, non aliud, ut Zanottus etiam profitetur, adgnovere ipſi adtributum, quam auctoritatem quamdam, & imperium; nullam igitur poſuere imaginario illo in idolo intelligentiam, amorem nullum, nullam liberam benefaciendi voluntatem, atque poteſtatem. Jam vero, eo ſolum ex capite, quo Idolum illud capax amandi homines non erat, neque igitur Stoicorum poterat fovere aut etiam elicere amorem. Quis enim

ama-

amare diu id poteſt, a quo amari ſe non poſſe ſit ſibi perſuaſum?

Aut amet, aut faciat cur ego ſemper amem. Ut enim ameris, amabilis non modo ut ſis neceſſum eſt, ſed etiam ut ames. Sempiterna illa igitur, & incommutabilis honeſtas æſtimationem, venerationemque, & admirationem, obtinere a Stoicis quidem potuiſſet, ſed amorem tamen numquam potuiſſet. Quin potius imperium & auctoritas, niſi benefaciendi, ut diximus, poteſtate temperetur, invidiam & odium conciliare ſolent, non amorem. Itaque nullo illius ſempiternæ & immutabilis amore honeſtatis feliciores effici Stoici umquam potuiſſent.

LXXXV.

SISTENDUM heic tamen modicum nobis eſt, ut videamus, quæ ſubjicit Cl. Zanottus, qui Maupertuiſium oppugnaturus cogitantem, ita conſtitutam eſſe hominis naturam, ut aliquo ſine amore eſſe non poſſit, quare Deum amando, felix evadere poſſe videatur; poſtquam, ut vidimus, rogaſſet, cur, ſi Chriſtianus, nil aliud quærens quam Deum, beatam acquirit animi felicitatem; cur, inquam, eamdem animi tranquillitatem Stoicus æque, nulla alia de re, quam de honeſtate ſollicitus, acquirere non poſſit; poſtquam, hæc, inquam, rogaſſet, ita proſequitur

præ-

præſtantiſſimus hic Vir: *Fateor*, *magnificam magis*, *nobiliorem*, *diviniorem que futuram Criſtiani animi tranquillitatem*, *ceu raptubus quibuſdam & ecſtaſibus comitatam*, *quibus gaudere Stoici non poſſunt*. *Verum; aliud eſt*, *nobiliorem eſſe tranquillitatem Chriſtianam Stoica tranquillitate; aliud eſt*, *Stoicum nulla gaudere poſſe tranquillitate; qui etiamſi non experiatur interiores quaſdam ſuavitates*, *& amoris languores*, *monitum velim tamen Maupertuiſium*, *Chriſtianos æque ſuavitates illas interiores*, *illoſque amoris languores ſæpeſæpius non experiri*, *nec etiam quærere*. *Diva ſiquidem Thereſia in ecſtaſim rapta ſemper non fuit*, *nec in ecſtaſim ſemper rapi voluiſſet*, *magis optans Deo obedire*, *quam eo frui*. Quod totum tamen ſcribendi genus vereor ne tanti Viri dignitati & gravitati minus tribuendum eſſe videatur. Quid enim huc faciunt, obſecro, ecſtaſes, raptus, ſuavitates, & languores, cum amore, quo, pro Philoſophiæ ſuæ moralis principiis, Chriſtanus Deum amat ſuum, ut ab ipſo feliciorem demum ſtatum, & beatam omnino conditionem conſequatur? Nil talem certe præferunt Catecheſes omnino omnes, nil Patres, aut Doctores, nil tale Philoſophia moralis Chriſtianorum. Auguſtinus in Libro de Diſciplina Chriſtiana, ita ſcripſit: *Homo enim quomodo a ſe fieri non potuit*, *ſic nec beatus fieri a ſe poteſt*. *Alia res eum fecit*

rit hominem quod non eſt ipſe homo: alia res eum factura eſt beatum, quod non eſt ipſe homo. Denique errans videt ipſe, quia per ſe non poteſt beatus eſſe, & amat aliud unde ſit beatus; unde ſe fieri putat beatum, hoc amat. Nullæ autem heic ecſtaſes, nulli raptus, languores nulli, qui rariſſime profecto, incompertoque nobis modo, ut, hisce de rebus diligentiſſime pertractans, docet Cardinalis Bona, & tantum in perfectiſſimis dicuntur evenire; nec ad amorem, quo Deum Chriſtianus ſuum proſequi tenetur, ſpectant. An non vero ſine ecſtaſibus, languoribus, & raptubus, quod jucunditatem in nobis excitat, amare vehementiſſime non poſſumus, illoque amore conſolari? Loquimur enim heic de amore frequentiſſimo, loquimur illo de amore, ſine quo recte dixit Maupertuiſius, videri homines eſſe non poſſe; nam & idem ſenſit ſane Divus Thomas, docuitque, Opuſculo LXI. Capite decimonono his verbis: *Natura autem humani cordis cognata eſt actioni dilectionis; unde Hugo a Sancto Victore, Vita cordis amor eſt, inquit, & ideo impoſſibile eſt ut ſine amore ſit cor, quod vivere quærit.* Id autem fuſius, ex cordis proprietatibus, pergit oſtendere Sanctus Præceptor. Allegatæ ſane Cl. Zanotti animadverſioni anſam non dedit Maupertuiſius, qui amorem Dei ex toto corde, nil aliud eſſe definivit, quam ſubdere ſe libenter

ejus

ejus voluntati, ſeque ob id etiam in anguſtiis conſolari. Jam vero, quum in ſempiterna illa, & incommutabili honeſtate Stoicorum; non ſolum amoris erga homines adtributum non reperiatur, neque a Stoicis admittatur ipſis; verum etiam nec reperiatur, aut admittatur benefaciendi poteſtas & voluntas; ſed adtributum ſolum cujusdam auctoritatis & imperii: igitur ſempiterna ejusmodi Stoicorum immutabilis honeſtas neque ſpem fovere Stoicorum poterat, nec aliquam illis adferre utilitatem. Si autem nulla ſpes ex virtutis, & honeſtatis exercitio Stoicis erat reliqua, nullam inde haurire poterant infelicitatis minuendæ rationem. Certe aliud conſolationis genus habere ipſos non potuiſſe fatetur etiam Cl. Zanottus, quam ipſum virtutis, & honeſtatis exercitium, conformationem ſcilicet actuum ſuorum ad ſempiternam illam & immutabilem honeſtatem. Verum ejusmodi conformatio ad honeſtatem illam incommutabilem, ejusmodi virtutis exercitium, eſſe aliquando poterat, fuitque revera ſæpenumero infeliciſſimum. In infelicitate vero illa, virtutis exercitium vel ſtatum inducit, a quo Stoicus removeri nollet, vel ſtatum, a quo optaret removeri? Si infelix virtus ſtatum inducit, quem Stoicus removeri vellet; itaque tunc felix non eſt. Quomodo enim appellari felix poteſt, qui eo in ſtatu conſtitutus

eſt, a quo vellet removeri? Si autem ex oppoſito nollet Stoicus ab infelici illo ſtatu removeri; tunc igitur Stoicus nec amat, nec quærit, nec acquirit felicitatem in virtutis exercitio, quia in exercitio virtutis non vult ab infelici ſtatu removeri. Virtutem enim dicere, numquam in Stoico infelicem, inſanum non modo prorſus eſt, ſed contra naturam, contra confeſſionem, contra Hiſtoriam Stoicorum ipſam. Infelicem autem ſtatum, dicere non infelicem, contradictorium eſt. Itaque quum, juxta Cl. Zanottum etiam, Stoici nullum aliud quam honeſtatem habuerint felicitatis conſequendæ medium, ſtatim atque honeſtatis exercitium apud ipſos infelix erat, nullum revera reliquum ipſis erat felicitatis conſequendæ, aut minuendæ infelicitatis medium; adeoque in meditatione, & exercitio honeſtatis eam acquirere non poterant animi tranquillitatem, quam acquirere Chriſtiani poſſunt in meditatione Dei, & in expectatione bonorum æternorum.

LXXXVI.

Revera ſi in ſola proſequutione honeſtatis tranquillitatem animi, adeoque & felicitatem conſequi facile filii Stoicorum potuiſſent, cur ſeipſos demum aliquando occidiſſent? Proſtare

mihi

mihi videtur statim Zanotti Cl. responsum, Capite ejus Animadversionum V. pag. 271. ubi de virtutibus agens Stoicorum, & præsertim de contemptu mortis, de quo melius a Maupertuisio cogitatum voluisset; *Tunc enim*, subdit, *intelligerent omnes, quibus de caussis, quove tempore & modo, pro Stoicorum effatis possit, aut debeat etiam homo se dimittere e vita; non enim quocumque se modo occidere, Stoicum est. Cato, qui illius, ut fertur, fuit Sectæ, tantamque sua sibi morte conciliavit gloriam, eo non devenit tamen, nisi quum demum novit, non amplius se suis posse Civibus prodesse. Secus profecto se non occidisset. Intelligens tamen, se præsto adhuc esse Patriæ non posse, dignitati duxit consulendum suæ, arbitratus sequi se virtutem, voluntaria morte obeuntem. Barbaros in mortem ruere desperatione actos constat, utque modum ponant angustiis & infelicitati; Stoicos contra Ratione ductos, non fini angustiis statuendo & infelicitati, quæ in Sapientem cadere non potest, hac migrare e vita; sed ut se solum joco, & Fortunæ ludibrio, aut contumeliæ subducant; ut decus demum concilient virtuti*. Scilicet id Fortuna curat, & spectata Stoici alicujus morte, magni ipsa faciet decus & pretium virtutis. Hisce in Vindiciis Stoicorum quam animosior Justo Lipsio Zanottus; qui sane, quo in Stoicis hypothesibus Chri-

 stia-

ſtiano jure propugnandis progredi quis poſſit, probe noverat. Dum enim Tacitus, Libro Hiſtoriarum ſecundo, Plotium Firmum inducit, Prætorii Præfectum, morituro ob Vitellianorum victoriam Othoni dicentem: Ne fidiſſimum Exercitum, ne optime meritos milites deſereret; majore animo tolerari adverſa, quam relinqui: fortes & ſtrenuos, etiam contra fortunam, inſiſtere ſpe, timidos & ignaros ad liberationem formidine properare; in Notis ad ejusmodi verba ſtatim ſubjicit Lipſius: *Hæc illa ſunt, quibus jugulare Stoicos adverſa omnis manus ſolet: pro quibus ſcutum habeo, equidem quód opponam, niſi Religio me vetet.* Eadem autem uti oportebat etiam Zanottum in ſcribendo diligentia; quum non major Lipſii olim fuiſſe apud ſuos, quam apud nos Zanotti Cl. auctoritas eſſe videatur.

LXXXVII.

Primo animadvertendum tamen, hoc etiam in loco, fucum Viro Cl. feciſſe Declamationes Stoicorum, ipſumque facile nimium crediſſe, Stoicos ea fuiſſe ſimplicitate, & dementia, ut ſe, non deſperationis cauſſa, ſed virtutis ergo, denique occiderent. Id autem profecto eſt falſiſſimum. Declamabant illi quidem ſemper, ut infelices alios hortarentur ad autocheiriam; ſed

ipſi

ipſi doloſo & artificioſo paradoxo, quo ſtatuebant, infelicitatem in Sapientem cadere non poſſe, meliora tempora voto exoptabant, qualiacumque tolerabant, & autocheiriam ſtultis, ſtolidisque, & deſperatis relinquebant. Seneca reapſe ad Lucilium ſcribens, Epiſtola quarta Libri primi, his utebatur verbis: *Non vides, quam ex frivolis cauſis vita contemnatur? Alius ante Amicæ fores laqueo pependit: alius ſe præcipitavit e tecto, ne Dominum ſtomachantem diutius audiret: alius, ne reduceretur e fuga, ferrum adegit in viſcera. Non putas virtutem hoc effecturam, quod effecit nimia formido?* Erant igitur Deſperatorum exemplis ad voluntariam mortem Stoici impellendi, ceu deſperationis, & formidinis exempla animos poſſent addere virtuti; & diuturnis adhortationibus ipſa indigeret, quo generoſum denique erumperet in actum. Abeſt tamen adeo, ut generoſa ſe morte Stoici occiderent, ut quum primorum Chriſtianos temporum alacres ad martyria properare cernerent, alacritatem quidem illam mentis perturbationi tribuerent, ſed ſimul tamen ſuam ipſi ſibi ſegnitiem adhuc exprobrarent. Marcus enim Aurelius Antoninus, Libro ad ſeipſum nono, *Quænam eſt anima*, inquiebat, *quæ parata ſit, ſi jam e corpore migrare, aut exſtingui, aut diſpergi, aut permanere oporteat? Paratam autem dico, ita ut a proprio judicio res*

pro-

proficiſcatur , non obſtinatione mera , pro more Chriſtianorum, ſed conſiderate, & graviter. Epictetus vero, de animi firmitate agens, Libro quarto Capite 7. querebatur, neminem perſuaderi potuiſſe ut Tyrannorum gladios contemneret; dum Chriſtiani (quos Galilæos appellabat) furore quodam & conſuetudine, vel terriculamenta mortis irriderent: *Furore quidem, & conſuetudine ſic adverſus hæc adfectus eſſe poteſt, ut Galilæi.* Quæ omnia textubus in græcis ſunt expreſſiora. Errabant illi quidem univerſæ tribuentes Chriſtianorum Sectæ, quod proprium modo erat Montaniſtarum; furoremve & perturbationem animi, ſive obſtinationem appellantes, quod virtutem in veris Martyribus, & conſtantiam appellare oportebat. Nec alia de cauſſa Stoici illi, Marcus Aurelius, & Epictetus, ita de Chriſtianorum in Martyriis alacritate cogitabant, niſi quia revera Stoici ipſi erant, nempe veram animorum immortalitatem inficiabantur; ea ratione qua, ſimili quum verſaretur in opinione Lucanus, ita antiquiſſimis de Gallis ſpe futuræ vitæ mortem in bello non timentibus, Libro cecinit Pharſaliæ primo:

Longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt; certe Populi, quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo! quos ille timorum

Ma-

Maximus haud urget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona Viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum rediturae parcere vitæ.

Errorem appellat, felicem tamen, quem animadverterent optarem Admiratores Stoicorum; quo vel ab ipsis immortalitatis animæ irrisoribus intelligerent aptissimum & naturale omnino habitam illam semper consolationis argumentum. Ceterum qui in illa versabantur spe, ea etiam utebantur, ceu maxime idoneo ad excitandos ad fortia animos, & ad contemnendam mortem, incitamento. Eo certe usus est Mathathias, quo Judæos ad bellum adversus Antiochum vehementer hortaretur, ut Libro patet Machabæorum primo, Capite secundo. Et Titus milites excitaturus suos in prælio contra Circumcisos, *Quis nescit*, inquiebat, *Virorum fortium animas, in acie ferro corporibus solutas, purissimo ætheris elemento inter astra collocari; easque Manes bonos, & propitios Heroas Posteris illorum conspiciendas dare?* ut apud Flavium Josephum legimus, Libro de Bello Judaico VI. Capite primo. An ne vero latere poterat Marcum Aurelium, fuisse Christianis persuasum animas post mortem esse superstites, easque gaudio afficiendas, ut ipsi ajebant sempiterno? Cur igitur obstinationi potius & furori asserit, quod felici;

ut ita dixerim, Christianotum errori (pro Stoicorum opinione) tribuendum potius esse videbatur? Nempe Sectatoribus sempiternæ & immutabilis honestatis fas omnino erat maligne cogitare, deque ceteris maligna verba facere. Christiani tantum videant oportet, ne quid detrimenti res Stoica accipiat; caveantque, ne aliquam spectatissimis illis immutabilis sempiternæque honestatis Adseclis inferant injuriam; aut non maximam habeant eorum virtutis, & Philosophiæ moralis rationem. Interim si Marcus Aurelius, & Epictetus Christianos calumniati sunt, non crediderim umquam tamen suam ipsos Sectam calumniari voluisse; quare eorum testimonio, illisque dicendi modis elucet sane apertissime, neminem tunc repertum iri, ipsis Stoicæ Sectæ Principibus fatentibus, qui graviter, considerateque, judicio suo; & prædicata illa animi tranquillitate, se occideret, sed consuetudine tantum quadam, & perturbatione animi, obstinationeque, quales Christianis perperam asserebant. Ex opposito, nisi cum Ethnicis Zanottus adserat, primores illos Christianos alacriter ad Martyrium properasse obstinatione tantum, & perturbatione quadam animi; ergo inferre poterit quantam illis contulerit alacritatem, quantamque vel media inter tormenta lætitiam, spes certa bonorum æternorum. Num quid simile in

omni

omni Stoica Historia poterit ipse reperire? Certe si indicia signaque respicimus, moralis Stoicorum Philosophia medium ipsis, fateor, suppeditabat, quo modum imponerent calamitati & dolori, nempe mortem; non medium vero, quo lenire possent & minuere dolorem, nempe spem aliquam, & expectationem melioris conditionis. Num denique de Stoicis loquebatur Seneca, Epistola quinta Libri tertii, dum ajebat: *Non revoco te ad historias, nec ex omnibus Seculis contemptores mortis, qui sunt plurimi, colligo. Respice ad hæc nostra tempora, de quorum languore & deliciis querimur; omnis ordinis homines succurrent, omnis fortunæ, omnis ætatis, qui mala sua morte præciderunt?* Rectissime igitur positum erat a Maupertuisio, non adeo terribilem esse voluntariam mortem, ubi Religio non obstet; vimque & efficaciam opinionis, atque moris tantam esse, ut præstare id demum possit, quod perfectior Ratio præstat aliquando. Barbarorum autem exemplis usus est, quare effatum illud confirmaret, ea prorsus ratione, qua Lucianus *de morte Peregrini* Indos memoravit homines, stultissimos, & inanis gloriæ cupidos, voluntariam in mortem ruentes, quo insanam gloriæ cupiditatem Peregrini, qui constructo in Olympiis rogo, seipsum ultro in ignem conjecerat, atque ita extinxerat, Cynicorumque il-

lud facinus celebrantium impotentiam irrideret. Qua proculdubio de re si Maupertuisium probe directeque, ut ajunt, oppugnare animus Zanotto erat, incumbebat ipsi, ut evinceret, aut iis etiam fas esse voluntaria morte occumbere, qui Religione tenentur id vetante; aut solis fas fuisse Stoicis voluntaria morte se occidere; aut nemini prorsus, vel omnis Religionis experti, fas adhuc esse se occidere.

LXXXVIII.

Quia tamen in eo præsertim sumus, ut pergamus vindicare Maupertuisium, relate ad necessitatem, & præstantiam Religionis præ Philosophia morali Stoicorum; in examen satius revocabimus, an Stoici eo essent animo & consilio, ut autocheiriam certis solum de caussis, certoque tempore permitterent; nec umquam se occiderent ut modum ponerent infelicitati, sed ut consulerent tantum dignitati suæ, & virtuti, & ut decus eidem conciliarent. Senecam certe Stoicorum Philosophiam & principia calluisse dubitabit nemo. Ex iis tamen, quæ Epistola scribit prima Libri decimi, aperte statim patet, secus valde rem se habuisse. *Nil melius*, inquiebat, *æterna Lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos.*

Ego

Ego expectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cum possim per media exire tormenta, & adversa discutere? Hoc est unum cur de vita non possimus queri: neminem tenet. Bono loco res humanæ sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est. Placet? Vive. Non placet? licet eo reverti unde venisti. Heinc & Tragici illa:

Ubique mors est: optime hoc cavit Deus;
Eripere vitam nemo non homini potest;
At nemo mortem.

Venusinus autem Vates, qui Stoicorum opiniones lætam non semel fecit suorum Operum materiam, Libro Sermonum tamen primo, Epistola XVI. Sapientem, pro Stoicorum præconceptis, serio describens, illum sic inducit cum Pentheo loquentem, scribens:

Vir bonus & sapiens audebit dicere: Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum? tollas licet. In manicis &
Compedibus sævo te sub Custode tenebo.
Ipse Deus, simul atque volam, me solvet, Opinor,
Hoc sentit; moriar; mors ultima linea rerum.

Omitto sexcenta alia Stoicorum testimonia, quibus, in angustiis & necessitate vivere, malum

quidem esse fatebantur, sed in angustiis & necessitate vivere, necessitatem nullam esse subjiciebant; calcareque ipsam necessitatem licere, ut Seneca Epistola ajebat IX. Libri primi. Quare in angustiis positi, prosilire se ejusmodi homines dicebant ex ædificio putrido & ruente, suamque voluntaria in morte reperire libertatem. Quibus equidem in omnibus dicendi modis furorem potius & perturbationem quamdam mentis mihi videre videor, quam lenitatem illam animi & tranquillitatem in voluntaria Stoicorum morte a Zanotto prædicatam. Abest adeo, ut illius principiis Philosophiæ suum quis posset lenire dolorem, suamque minuere infelicitatem. Nota sunt quidem illa Senecæ de Catone: *Deus bonorum amantissimus, fortunam, cum qua exerceantur, illis assignat. Ecce spectaculum quod Deus respiciat: Fortis cum mala Fortuna. Nec video quid habeat in terris Jupiter pulchrius, quam ut spectet Catonem jam fractis partibus stantem, & inter iras publicas rectum Dii lubenter spectabunt Alumnum suum tam claro & memorabili exitu vadentem, ac se humanis casibus eripientem.* Nota sunt, inquam, ista, ex quibus sua de Catone mutuatus est Zanottus. Sed quis statim & heic non intelligit perpetuum Declamatorium dicendi genus Stoicorum? Quo enim pacto ista, historico si interpretemur, aut philosophico etiam sen-

ſenſu, conciliari demum poterunt cum iis quæ dem Seneca ſtatuerat, non expectaturum ſe videlicet vel morbi, vel hominis crudelitatem, quum voluntaria poſſit morte per media exire tormenta, & diſcutere adverſa? Quomodo Sapientia Catonis conciliari cum Viro poteſt optimo & Sapiente Venuſini Vatis, qui ad ultimam confugiebat lineam rerum, ne manibus & compedibus vinctus, ſævo ſub cuſtode, a Tyranno teneretur? Sane ſi Stoicæ tantum virtutis ope ſeipſum occidit Cato, itaque ejuſdem Stoicæ virtutis ope idem præſtiterint oportet Caſſius, & Brutus; ejuſdem Stoicæ præſidio virtutis idem præſtiterint oportet Antonius & Dolabella; ejuſdem virtutis præſidio Mithridates, Hircanus Joſephi filius, & Ptolomæus a Catone victus, ceterique idem præſtiterint oportet pene infiniti, qui numquam tamen, niſi poſt ingentes Exercituum, rerumque ſuarum clades, voluntario fato periere. Quis obſecro rerum faciem & ſtatum, quis partium ſtudium illorum temporum non noſſe poteſt, virtute ut duce vitam hoſtes Cæſaris projeciſſe credat? Quam vere Auctor Supplementi Lucani, Libro VI. Romani illius mentem illo in ſtatu deſcribit! ſic enim illum inducit loquentem:

Non datur ergo
Sponte mori victis (inquit:) nec obire Catoni
Dum

Dum dabit injustus Victor mandata licebit?
Cæsaris expectem gladios, atque in caput istud
Jus illi agnoscam Superi? Dominumque fatebor
Esse meum, quem Roma suum decreverat hostem,
Quemque ego damnaram; num justam injusta dederunt
Bella potestatem? non sic; oh, Numina, certe
Humanas placuit vobis confundere leges,
Et dare jus sceleri.

Ob imponendum igitur infelicitati finem ad autocheiriam Stoici etiam confugiebant, quod vel ex eorum Declamationibus adparet; quibus non est, cur iis, qui meditari valent, posse se in præsens fucum facere confidant.

LXXXIX.

MEDITARI siquidem valenti occurrit statim, cur Stoicorum, ut ita dixerim, ætate ad autocheiriam homines facile adeo confugerent, quin etiam de sempiterna illa & incommutabili honestate cogitarent. Duo sane in caussa fuisse videntur, quare in hoc facinus, virtutis veluti simulatione ruere deberent. Sævitia Tyrannorum nempe, deque futura vita dubitatio; sive potius propagata nimis persuasio animum superstitem

non

non esse. Quam terribilia essent Catonis tempora, ex Historia satis patet, sed præsertim ex Lucano, idoneo revera rerum illarum Vate, cujus cantus adeo est doctrina Stoica refertus, perniciosissimam ut exhibeat imperitis Lectoribus materiam. Qui vero ætatem illam excepere pœnarum artifices Tyranni, satis noverant quid esset efficere, ut miseri, sine morte etiam, sentirent se mori. Quare Lycus in Hercule furente:

Qui morte cunctos luere supplicium jubet
Nequit Tyrannus esse; diversa irroga.
Miserum veta perire: felicem jube.

Tiberius, Suetonio si fides, Nurui Agrippinæ, mori inedia destinanti, ore per vim diducto, cibum infulciri jubebat; eodemque jubente, mori volentibus vis adhibita vivendi; nam mortem leve adeo supplicium putabat, ut quum audisset unum ex eis Carnulium nomine anticipasse eam, exclamaverit: Carnulius me evasit. Et in recognoscendis custodiis precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: nondum tecum in gratiam redii. Imaginem & faciem terribilium illorum apud Romanos temporum, satis etiam horridam, e Tacito habemus in Agricolæ Vita, & ex Latino Pacato, in Panegyrico Theodosii Augusti; quare non dubitandum, mortem tunc fuisse miseris solatium, & finem optabi-
lem

lem malorum, vel illis etiam miseris, qui acti pavore futuri Seculi fuissent. Quanto magis igitur voluntariam in mortem ruere eos oportobat, qui, in luctu & miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse; eamque cuncta Mortalium mala dissolvere, ultra neque curæ, neque gaudii locum esse cogitabant? Erat hæc Cæsaris sententia, ut ex Sallustio novimus, & Tullio in Catilinaria quarta; quapropter a sontibus, mortis pœnam esse removendam statuebat, ceterum autem suppliciorum acerbitates omnes eisdem irrogandas. *Intelligit enim*, subdebat Tullius, *mortem a Diis immortalibus, non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum & miseriarum quietem esse. Vincula vero, & ea sempiterna, certe ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa sunt. Itaque municipiis dispertiri jubet: adjungit gravem pœnam Municipibus, si quis eorum vincula ruperit: horribiles custodias circumdat, & dignas scelere hominum perditorum. Sancit, ne quis eorum pœnam, quos condemnat, aut per Senatum, aut per Populum levare possit. Eripit etiam spem, quæ sola hominem in miseriis consolari solet.* Quæ postrema velim ab admiratoribus Stoicorum considerata; imo perspectam universam eorum, de quibus hoc loco dicimus, complexionem; intelligerent tunc facile profecto, minime

opus

opus fuisse, quo se aliquando homines occiderent, ut ad sempiternam illam respicerent, & incommutabilem honestatem; nec tantum animi, aut temporis ipsis reliquum fuisse, quo de virtutis decore in tuto collocando cogitarent; sed in funera præcipitasse, quod nullam non modo evadendi spem haberent, sed nec aliquam unde sperare possent futuros se destinata morte obita felices. Adeo desperationi, non virtuti, erat totum illud autocheiriæ negotium, apud Stoicos etiam, tribuendum.

XC.

VEREOR non defuturos olim, qui Animadversiones Cl. Zanotti in Librum Maupertuisii criminari pergant, quod sui extra hypothesim Adversarii ipse semper disseruisse videatur. Maupertuisius siquidem in Collatione sua Philosophiæ moralis Stoicæ cum Philosophia morali Christianorum, nil aliud sibi considerandum proponit, quam Sectæ utriusque principia: Zanottus præcipue virtutes, & præcepta. Maupertuisius nullam haberi vult Declamationum rationem: Zanottus sua ex Declamationibus Stoicorum videtur sumere argumena. Maupertuisius viam quærit qua infiniti pene homines minuere infelicitatem vitæ possint: Zanottus, illam aptam

Ee & ido-

& idoneam tuetur, quam paucissimi calcare possunt; quid enim naturale & pervium magis, quam felicitas, quæ spe concipitur felicioris status; ex opposito quid magis impervium atque abstractum, quam felicitas, quæ hauriri e sequela debeat sempiternæ & immutabilis honestatis Stoicorum? Maupertuisius denique de rebus agit, prout revera sunt: Zanottus totus est in possibilibus præconcipiendis; quibus sane constitutis, opposita Christianæ Philosophiæ Stoica non erit. Stoicos ratione tantum ductos e vita migrasse adserit & propugnat Cl. Zanottus, non vero ut modum ponerent infelicitati; nec id alia de caussa; nisi quod, eorum opinione, cadere in Sapientem infelicitas non potest. Ast non videt Vir doctissimus, ejusmodi meram fuisse Declamationem; illosque tunc loquutos de Sapiente possibili, non vero de Sapiente existente in natura rerum; deque Sapiente, secundum quod esse revera sapiens debuisset; non autem de Sapiente, secundum quod revera erant Stoici? Si enim Declamationibus tantum utimur in definitione rerum & Systematum, neque in Christianum poterit cadere infelicitas. Salvianus siquidem, in Libro de Judicio & Providentia Dei, solvendum sibi sumens deductum ex malorum felicitate, hac in vita, & infelicitate bonorum argumentum; malosque Christianos a bonis secer-

cernens, prioribus debita potius ait hujusce vitæ mala; in bonos autem ea cadere non posse; *quia*, inquit, *quamvis videantur ignorantibus esse miseri, tamen virtute præditi Christiani non possunt esse aliud, quam beati. Superfluum autem est, ut eos quispiam vel infirmitate, vel paupertate, vel aliis istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi confidunt esse felices. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideo non possunt cujusquam falso judicio esse miseri, qui sunt vere sua conscientia beati. Nulli enim, ut opinor, beatiores sunt, quam qui ex sententia sua atque voto agunt. Humiles sunt, hoc volunt: pauperes sunt, paupertate delectantur: sine ambitione, ambitum respuunt: inhonori sunt, honorem respuunt; lugent, lugere gestiunt: infirmi sunt, infirmitate lætantur. Itaque quicquid illud fuerit, quicumque vere religiosi sunt, beati esse dicendi sunt*. Nonne vides declamatorium dicendi genus, quod pluribus adhuc prosequitur Salvianus, esto veriore sententia finem Declamationi denique imponat, homines ejusmodi appellans vel in angustiis felices, *quod beatitudinis futuræ præmia consequentur?* Nec negamns certe, ita esse debere affectos Christianos; ejusmodi fuisse Apostolum, dum inquiebat, quum infirmor, tunc potes sum; ejusmodi fuisse olim; esseque in præsens nonnullos; ejusmodi demum posse omnes

 esse;

esse; verum felicitas illa in eisdem est ob expectationem cælestium bonorum, quæ efficere aliquando etiam potest, ut mala ipsa, ceu gaudia, desiderentur. Ast si, omissa expectatione illa, beatos adhuc dicere pergerem omnes in angustiis versantes Christianos, ea solum de caussa quod tristibus gauderent; aut quod, etsi aliorum sensu miseri essent, non tamen suo; si ejusmodi, inquam, Christianorum imaginariam conditionem objicerem Zanotto, quare illi persuadere conarer, infelicitatem cadere in Christianum non posse; non ne tunc mere declamarem? nonne Vir prudentissimus simplicitatem irrideret meam? Nonne me apertissime magno Apostolo opponerem scribenti, Epistola sua ad Corinthios prima: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus?* De Stoicis, in quos cadere non poterat infelicitas, eodem modo cogitandum. Scilicet eorum de felicitate non ex Declamationibus definiendum, sed ex caussis ejusdem felicitatis. Si Christianos in angustiis constitutos, felices dicas, aut saltem minus infelices, quod meliorem tunc sperent conditionem; caussam idoneam adfers eorum felicitatis, aut quare minuant infelicitatem; quia hebes quisque novit, homines spe consolari. Præcipua siquidem miserorum consolatio est spes, sine qua desperatio sequeretur

in-

infortunium; ipsa lenimentum calamitatum est, dolorum levamen, fulcrum passionum, omnesque præcedens voluptates; ingerit ipsa animis fortitudinem & virtutem, ingerit patientiam, ingerit præcipue lætitiam. Quis umquam sine spe vitam vellet tolerare? Illi quoque qui opinantur nullos se post mortem futuros, morituri adhuc tamen, se deceptum iri sperant, & fortasse se futuros. Verum si Stoicos in angustiis constitutos, felices adhuc dicas, aut minus infelices, quod vel in angustiis sempiternam illam immutabilemque sequantur honestatem; nullam aliam adfers eorum felicitatis caussam, quam caussam ipsorum infelicitatis, ipsam nempe virtutem infelicem, quæ, quum sit infeliciatis caussa, intelligit hebes quisque, non posse una esse felicitatis etiam caussam, aut saltem caussam minuendæ infelicitatis.

XCI.

NIHIL tamen agimus, dum aliquam adhuc intactam ex Stoicis Declamationibus relinquimus. Stoicos minime alienos fuisse ab illis rebus, quæ jucundiorem faciunt vitam, animadvertit præclarissimus Zanottus, subditque, pag. 270. *ipsos nec divitias recusasse, nec voluptates, nec cetera vitæ commoda; tantum vero res ejusmodi*

di minime bona appellasse. Scilicet unam honestatem fuisse ab eisdem bonum appellatam; cujus ergo vitam amittere non verebantur. Angustias quidem in inferiorem, ut ita dicam, animæ eorum partem cadere potuisse; numquam vero in eorum mentem; heinc summam mentis tranquillitatem vel in autocheiria conservasse; *cujus rei*, consequitur demum, pag. 272. *meritam si habuisset Gallus Auctor rationem, tametsi non adeo grande facinus ipsi autocheiria videatur, non levis tamen momenti rem ipse quoque eamdem duxisset, statim atque sui occisio sedato adeo & tranquillo perpetranda foret animo, uti revera eam Stoici perpetrandam esse contendebant*. Quæ quidem dum exscribo, animum subeunt meum similia illa Senecæ, in Libro de Providentia, Stoico de animo ita differentis: *Est omnibus externis potentior; nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit; & alioquin quietus placidusque contra incurrentia attollitur*; illaque ejusdem de Consolatione ad Helviam. *Corpusculum hoc huc atque illuc jactatur; in hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur: animus quidem sacer & æternus est, & cui non possunt injici manus*. In corporibus igitur Stoicorum omnia aderant angustiarum signa & indicia; sed nullæ in animo angustiæ; quare si ætate nostra Stoicus aliquis viveret, haud esset illi multum laborandum, ut

ut aliquam ſeligeret ex diſſentientibus opinionibus, mutui nempe influxus, aut cauſſarum occaſionalium, aut harmoniæ præſtabilitæ, aut alterius ſyſtematis, commercio animam inter & corpus explicando; haud multum negotii ſcilicet res illi ejuſmodi faceſſeret, quum, ſi vera dicant, vix aliquod interceſſerit Stoicum inter corpus ſuppliciis affectum, ejuſque Stoicam animam commercium.

XCII.

EGO tamen ſerio ut reſpondeam, ſic exiſtimo; Sapientis hominis videri, quum de re agens controverſa aliquas tranſit in partes, eaſque tueri poſſe contendit, oppoſita etiam enodare argumenta; præſertim ſi graviſſimi Viri ea in medium protulerint; illorum quippe ſive Virorum, ſive argumentorum rationem exiguam habere, idem demum eſt, ac exiguam habere adoptati Syſtematis rationem. Jam vero Divus Auguſtinus, Libro de Civitate Dei nono, allegatam Stoicorum doctrinam ita ſumit oppugnandam, ut ipſa Cl. Zanotti verba ſibi in examen revocanda propoſuiſſe videatur. Capite enim citati Libri quarto illud reſpiciens effatum Stoicorum, quo nullum aliud eſſe bonum dicebant præter virtutem, & honeſtatem, ita ratiocinatur Sanctus

ctus Pater: *Cicero tamen in Libris de finibus bonorum & malorum, verbis magis quam rebus Stoicos, adversus Platonicos, & Peripateticos certare convincit: quandoquidem Stoici nolunt bona appellare, sed commoda corporis & externa; eo quod nullum bonum volunt esse hominis præter virtutem, tamquam artem bene vivendi; quæ non nisi in animo est. Hæc autem isti simpliciter, & ex communi loquendi consuetudine, appellant bona; sed in comparatione virtutis, qua recte vivitur, parva & exigua. Ex quo fit, ut ab utrisque quodlibet vocentur, seu bona, seu commoda, pari tamen æstimatione pensentur, nec in hac quæstione Stoici delectentur, nisi novitate verborum*. Ut igitur jure adfirmari posset, Stoicos ita delectatos fuisse in prosequutione honestatis, uti ceteri hominum delectari solent in prosequutione ejus quod utile sibi, & jucundum est, oportuisset, opinor, primum ostendere, Stoicos non ita affectos fuisse ab eo quod utile, & jucundum esse solet, uti affecti revera ab eo sunt ceteri Mortalium; oportuissetque ostendisse, discrimen quod in Systemate eorum circumfertur inter ea quæ commoda tantum sunt, & illud quod revera solum bonum est, esse reipsa magni nominis discrimen, & ab eorum apathia derivatum. Tunc enim quum diversæ veluti ab aliis naturæ dici possent, consequi etiam posset, ipsos ita suam acquirere

feli-

felicitatem in solius prosequutione honestatis, uti Christiani in prosequutione illius Objecti erga quod suum exercere amorem possunt, sibique jucunditatem maximam adlaturum est, atque utilitatem. Verum si Stoici jisdem acti adhuc erant adfectionibus, quibus aguntur ceteri mortalium; si Tullio, Augustino, imo & præstantissimo Zanotto, confitentibus, Philosophi illi nulla gaudebant apathia, verum divitias, voluptates, ceteraque vitæ delinimenta, pari æstimatione pendebant ac reliqui mortales, totumque discrimen in mera logomachia situm erat, quod commoda scilicet ea appellarent, quæ alii vocabant Naturæ bona; aut ærumnas, infortunia, vulnera, podagram; ceteraque ejusmodi, minime mala esse dicerent, quod ex jisdem homo moraliter malus non efficeretur; (quod utique plusquam anile videretur Cogitatum:) itaque tunc eos æque se consolari necesse erat in earum solum prosequutione rerum, quæ aut amorem foverent, aut jucunditatem adferrent, aut utilitatem. Statim vero atque sempiterna ab ipsis prædicata & immutabilis honestas nullum, ut diximus, haberet adtributum, quod eorum fovere amorem posset; nullum, quod aliquam ipsis adferret jucunditatem & utilitatem; sed illa solum, quæ odium ciere valent, & invidiam, imperium nempe & auctoritatem; eorum exple-

re non poterat sempiterna ejusmodi honestas naturales, quibus adhuc agebantur, adfectiones: itaque, in illius prosequutione, animi tranquillitatem consequi non poterant; adeoque nec felicitatem.

XCIII.

Et revera, Augustinus, quo evinceret, allegato loco falsam & inanem esse illam Stoicorum distinctionem inter animum & corpus, relate ad passiones, ex A. Gellii Libro Noctium Atticarum decimo nono, historiam in medium adducit Stoici Philosophi, qui tempestatis in periculo, magis quam ceteri expalluerat. Rogatus autem ille, cur, Stoicus quum foret, tantum in pavorem incidisset, educto statim ille Epicteti Libro, in quo Doctrina continebatur Zenonis, & Chrysippi, rursus discrimen illud in scenam traxit inferiores inter partes animi atque mentem; in illis vero contra rationem prævalere dicebat passiones; alteram contra eisdem dominari, eisque non consentiendo, sed potius resistendo, virtutis regnum exercere. Talem autem descriptum etiam a Virgilio Æneam, ubi Libro Æneidos IV. ajebat:

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.

Verum urgere pergebat semper magis Augusti-

nus,

nus, rogareque, quare, si nihili vitam, & cetera vitæ commoda pendebat Philosophus ille in tempestatis periculo versatus, cur, inquam, periculum adeo perhorruisset, ut, apertissimo palloris etiam, pavorisque infiniti testimonio, animi angustia panderetur? Vel enim commercium tunc admitti debuisset nullum animam inter & corpus; vel nullum, animum inter, & mentem, inferioresque inter, & superiores animi partes; quæ sunt certe nugamenta, & deliria.

XCIV.

CETERUM, rem intimius inspexit adhuc Sanctissimus ille Auctor, Libro decimo nono, Capite quarto, ubi majores esse animi ægritudines, & morbos animadvertit, quam ipsius corporis; mentemque magis in angustias a seipsa aliquando redigi, quam a malis, & periculis externis; quare Stoici tametsi nihili facere hæc etiam possent, numquam tamen adeo immota ipsorum remaneret mens, ut virtute tantum sua summam posset consequi felicitatem. Heinc ad autocheiriam Stoicorum transit in examen revocandam, quam se dato pacatoque evenire non potuisse animo vehementissime evincit. *Porro ipsa virtus*, inquit, *quæ non est inter prima Naturæ, quoniam eis postea doctrina introducente su-*

Ff 2 per-

pervenit; cum sibi bonorum culmen vendicet humanorum, quid hic agit nisi perpetua bella cum vitiis, nec exterioribus, sed interioribus; nec alienis, sed plane nostris & propriis; maxime temperantia, qua carnales frenantur libidines, ne in quæque flagitia mentem consentientem trahant? Quid illa virtus, quæ Prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia sua, bona discernit a malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat? Ac per hoc ipsa nos in malis, vel mala in nobis esse testatur. Jam vero illa virtus, cujus nomen est fortitudo, in quantacumque Sapientia, evidentissima testis est humanorum malorum, quæ compellitur patientia tolerare. Quæ mala Stoici Philosophi miror qua fronte mala non esse contendant, quibus fatentur, si tanta fuerint, ut ea Sapiens vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eum mortem sibimet inferre, atque ex hac vita migrare. O vitam beatam, quæ ut finiatur, mortis quærit auxilium! Si beata est, maneatur in ea: si vero propter ista mala fugitur ab ea, quomodo est beata? Aut quomodo ista non sunt mala, quæ vincunt fortitudinis bonum, eamdemque fortitudinem non solum sibi cedere, verum etiam delirare compellunt, ut eamdem vitam & dicat beatam, & persuadeat esse fugiendam? Quis usque adeo cæcus est, ut non videat quod si beata esset, fugienda non esset? Sed si propter in-

fir-

firmitatis pondus, qua premitur, hanc fugiendam fatentur; quid igitur caussæ est, cur non etiam miseram, fracta superbiæ cervice, fateantur? Utrum, obsecro, Cato ille patientia, an potius impatientia se peremit? Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? Nempe cessit, nempe succubuit, nempe usque adeo superata est, ut vitam beatam derelinqueret, desereret, fugeret. Quomodo igitur mala non erant, quæ vitam miseram, fugiendamque faciebant? Magna vis est in eis malis, quæ fortitudinem faciunt homicidam: si tamen adhuc dicenda est fortitudo, quæ ita his malis vincitur, ut hominem, quæ sicut virtus regendum tuendumque suscepit, non modo non possit per patientiam custodire, sed ipsa insuper cogatur occidere. Debet quidem etiam mortem Sapiens ferre patienter, sed quæ accidit aliunde. Secundum istos autem, si eam sibi ipse inferre compellitur, profecto fatendum est eis, non solum mala, sed intolerabilia etiam mala esse, quæ hoc eum perpetrare compellunt. Specimen hoc est argumentorum Augustini, quibus egregie ostendit, summum bonum in sola virtutis prosequutione, sive in sola prosequutione sempiternæ illius, quam Stoici prædicabant, & incommutabilis honestatis, non esse collocandum. Quum autem ejusmodi neque Theologica sint, neque Tribunitia argumenta, cur ea

præ-

prætermittere visus est præclarissimus Zanottus? non enim indecorum ipsi fuisset hæc Augustini loca interpretari, & illustrare.

XCV.

Et sane, in se se occidente Stoico, in Stoico expallescente coram mortis, aut infortunii periculo, animum adhuc tueri summa gaudentem tranquillitate, idem omnino est, ac tueri id, de quo quæritur; idemque ac positum habere, & constitutum id, de quo est maxime disputandum. Dubitatur enim, & dubitari debet ab omnibus, qui sensum habent, ut dicitur, communem, an qui extremis in angustiis constitutus est homo, sua adhuc gaudeat animi tranquillitate; inquiritur etiam, quanam ratione conservare illam possit? aut quonam pacto illam minuere posset infelicitatem? Nec alia via cognosci status animi, & mentis potest, quam ex indiciis corporis, & signis, ex effectibus, & operibus ab ejusmodi homine perpetratis. Statuere autem pallores, tristemque faciem, sui denique occisionem, esse signa & indicia tranquillitatis animi, idem prorsus foret ac statuere, risum esse indicium doloris, fugam esse signum confidentis animi, bene compactum corpus, hila-

remque vultum, esse indicium ægritudinis; vitæ amorem signum esse infelicitatis; idem esset demum atque ea inferre, & constituta dicere, quæ delirantes ipsi negarent atque irriderent. Statuere vero tranquillitatem animi non esse in Stoico negandam, ob sinistra illa signa & indicia, hoc, iterum dicimus, id omnino est, de quo quæritur, & dubitatur. Confugere namque, veluti ad illius tranquillitatis caussam, ad sempiternæ & incommutabilis prosequutionem honestatis, aliud profecto non est, quam ad id confugere, de quo rursus inquiritur, differiturque. Dubitatur nempe, an prosequutio illius honestatis inducat in animum hominis tranquillitatem, aut ejus infelicitatem minuat; & jure sane dubitatur, quum omnia indicia, & signa hominis aliquando Stoici, ejusque actus, & effectus, pallor nempe, tremor, aut autocheiria, sint indicia, & signa doloris, & infelicitatis; neque ipsa, aut natura sua, aut Stoici meditatione, minuere ejus infelicitatem possit, quod nullum attributum præferat, quod hominis aut amorem fovere valeat, aut jucunditatem, aut utilitatem. Itaque non poterit infelicis umquam hominis leniri & imminui infelicitas, nisi ad illud bonum, saltem mentis consideratione denique confugiat, quod amorem, & spem ejus foveat, aut utilitatem. Hocce autem bonum quod-

nam

nam aliud, quam ſpes felicioris ſtatus, imo expectatio bonorum æternorum?

XCVI.

Revera, ſi ſeriam inſtituis comparationem eos inter, qui futurorum aguntur expectatione gaudiorum, & illos, qui ejusmodi expectatione carent, patebit ſtatim, quantum relate ad priorum Philoſophiam, inanis ſit Philoſophia poſteriorum; & non modo ad inducendam felicitatem, aut infelicitatem minuendam, ſed etiam ad virtutem hac in vita fovendam, inepta eſſe videatur. Ut enim olim animadvertebamus, ii, qui nullam ſpem immortalis habent vitæ & Retributionis, dum de conſilii capiendi deliberatione agitur, jure videntur dubitare; quum ſcilicet adeo non ſemel cum honeſtate pugnet id, quod eſſe dulce, & utile videtur. Quum enim heinc voluptas, & utilitas ad ſe rapere, honeſtas ex oppoſito ad ſe trahere inde videatur, fit ut vehementer diſtrahatur in deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi. Etſi enim virtus ſit bonum utique hac in vita maximum, ſi beata tamen eſſe demum non poſſit, visque & natura ejus, in malis modo tolerandis, aut in feroci quadam conſtantia, aut in arduo ſe occidendi facinore, conſtituatur, amittit

tit tunc profecto rationem boni, finisque expetendi. Homines quippe, tametsi justitia aliquando, fortitudine, & virtutis amore etiam summo præditi, constantes adeo tamen esse non possunt, ut extrema in infelicitate lenitatem animi retineant, & tranquillitatem. Itaque quum ita constituta sit hominis natura, ut nimiis sit adversitatibus impar, cedereque cogatur generosus etiam animus necessitati, id amare demum, sequi, & colere non potest, quod sibi caussa veluti dolorum est, quodque omnem ab eo aufert quietem, & vitæ utilitatem. Si enim homines secum cogitent, virtutem illam, in qua sæpenumero versantur, quamque non semel sequerentur, aut esse, aut futuram sibi infortuniorum originem & fontem; felicioraque omnino, & prospera iis evenire, aut adventura, qui nullum habent, aut admittent, saltem in tempore, cum virtute & honestate commercium: jam in dies de virtute honestateque eos sentire & cogitare, nativamque augeri animi impotentiam necessum est.

XCVII.

QUOD si mentem hominis ex opposito subeat cogitatio, qua virtutem hac utique in Œconomia sæpesæpius haud multum delectationis utilitatisque habere cognoscat; futurum tamen, ut

brevia hæc damna diuturnioribus gaudiis compenset; fortis, jam vero tunc, & constans adeo evadit animus, ut ærumnosas quoque virtutis vices hilariter & facile valeat sustinere. Novit ille quidem, aliquam partum iri secundis ex rebus voluptatem; plurimum etiam, apud insanum vulgus, honoris & dignitatis. Ast quum in spem erigitur, fore, ut animi pro humanitate & clementia, moderatione & æquitate, ceterisque virtutibus, coronas & præmia largiturus sit tandem omnium Retributor Deus, horret mens in cogitatione vitiorum, arduamque licet virtutem deperire pergit, & honestatem sequi. Cuicumque enim certo persuasum & constitutum est, fore, ut virtutem sequutus & honestatem, ceteraque Legis præcepta, diuturno possit, æterno imo esse tempore beatus; vitia ex opposito, & non ordinatos animi impetus, affectusque, severissimas sibi fore ut adferant pœnas, & tristissimum exitium; in ea jam erit animi tranquillitate & constantia, quæ ad virtutem infelicem sustinendam necessariæ sunt; aut spe, & expectatione illa, duram lenire saltem perget vitæ conditionem, suamque minuere infelicitatem. Ille imo, qui virtutem hac in Œconomia, sive suapte natura, sive ex humanis rerum vicibus, nullam voluptatem, aut utilitatem ferre posse arbitratur; dum tamen supremum Ens esse sanctissimum, & libe-

& liberalissimum credit, quod providentiam habens erga genus humanum, compensaturum altera est in vita improbos pœnis, justósque præmio & vera felicitate; de virtute ille, inquam, perget adhuc recte, & secunde sentire, quam, si nulla futura esset post mortem vita, fortasse contemneret, quippe qui uberiora adeo expectat vitæ bene ordinateque actæ præmia, vix quodcumque concipi hac in Œconomia utilitatis & jucunditatis ex virtute posset, aptum ad illam arbitratur incitamentum. Sunt denique, & quidem non pauci, vitam qui pro virtute & honestate in præsens generose profunderent, aperte protestantes tamen, non alia se de caussa virtutem amplecti & honestatem, nisi quod grande illud tandem, venturum sit præmium beatæ pacis atque immortalitatis. Adeo nil fatale magis evenire virtuti posset, quam nullam umquam ferre secum felicitatem.

XCVIII.

QUI revera virtutem, & honestatem propter se amandas, etiamsi nullus esset Retributor Deus, cum Stoicis, & Zanotto, docent, ipsi sibi apertissime contradicere videntur. Qua enim alia de caussa amari virtus posset, nisi quod ejus in exercitio aliquam indepturi essemus tranquillitatem ani-

animi cum honeſtate conjunctam ; inque illius proſequutione rationem vigere præconciperemus ordinis, & harmoniæ cum Lege mentis, atque conſcientia? Verum, quid concipi & amari veluti ordinatum poteſt in natura rerum, nullum ſi ponatur ordinis liberum & intelligentiſſimum principium, totiuſque harmoniæ perfectiſſimum exemplar ſed omnia fato & neceſſitate contigiſſe, & contingere credantur? Quid autem ordinatum minus hac in vita, quam felices beatoſque nonnullos aliquando eſſe homines iniquos, probos autem, infelices? Aſt ſi, pro principiis Philoſophiæ moralis Chriſtianorum, Œconomia Sæculi futuri cum hodierna nectas Œconomia; tunc omnia profecto ordinate fluunt, ſplendet ordinis & harmoniæ principium, & exemplar, ratioque conformationis viget inter honeſtatem & Legem mentis, interque virtutem & virtutis illud præmium, quod ſolum perfectam adferre poteſt animi tranquillitatem. Omnia oppoſita ſint oportet in Syſtemate, & Philoſophia morali Stoicorum. Quæ enim mœſtior cogitatio, aut quæ infelicior conditio; ea, in qua maxime timendum ſit, ſperandum autem nihil; in qua nihil ſit, quod adfectiones animi ſatiare valeat, naturale ſcilicet felicitatis deſiderium; nil quod animi anguſtias demum leniat; nil quod expectare poſſit animus gravi hoc corporis pondere diſſolutus;

lutus; sed ea solum se se objiciant, quæ asperum facere solent hominem atque turbatum; quæ denique non innatum modo erga virtutem studium imminuunt, sed ipsa etiam eradicare pergunt virtutum intrinseca principia, adfectiones nempe naturales, clementiam & humanitatem? Denique Christianus felicem se, morte obita, futurum cum Deo sperans, virtutem perfectiorem amat; Stoicus in mortem voluntariam ruens, virtutem perfectissimam non amat. Nam etsi vinculum admitti deberet nullum virtutem inter, & illud præmii genus, quod ad jucunditatem quamdam, & tranquillitatem etiam animi spectat, vera tamen virtus illud præmium, illumque optare quammaxime debet statum, qui mentem perficit, animumque constituere potest in statu perfectissimo virtutis.

XCIX.

OMNES revera, qui beatam expectavere futuri Sæculi felicitatem, maximum, ejus in meditatione, invenerunt miseriarum levamen. Psalmista igitur ita Psalmo LXXVI. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Psalmo LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Beati qui habitant in*

do-

domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Pſalmo CXXI. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus*. Matthæi V. ſic Salvator ad Apoſtolos: *Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Apoſtolus ad Romanos ſcribens, eos hortabatur, ut eſſent *Spiritu ferventes, Domino ſervientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes*. (XII. 12.) Scribens vero ad Hebræos IV. 11. *Feſtinemus*, inquiebat, *ingredi in illam requiem*; quam non modo ceu finem laborum, & anguſtiarum reſpiciebant, ſed beatæ veluti etiam ſedem tranquillitatis animi, & felicitatis. Divus Auguſtinus Sermone CLVIII. de verbis Apoſtoli, *Etenim ipſa ſpes*, inquiebat, *peregrinationi neceſſaria eſt; ipſa eſt quæ conſolatur in via. Viator enim quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat, quia pervenire ſperat. Tolle illi ſpem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi*. Sermone autem primo de diverſis: *Et ecce Spes lactat nos, nutrit nos, & in iſta laborioſa vita conſolatur nos*. Enarrans illa Pſalmi CXVII. Vox lætitiæ, & ſalutis in tabernaculis Juſtorum, ethnicos ad Tyrannos reſpiciens, & ad Martyres Chriſtianos, hæc habet: *Ubi vocem mœroris, & exitii putabant*

eſſe,

esse, qui in eorum corpora sæviebant. Non enim sentiebant interiora gaudia Sanctorum de spe futura. Unde Apostolus, non solum autem, sed etiam gloriamur, inquit, in tribulationibus. Ad quæ adludens, Enarratione in Psalmum CXXVII. ita rursus: *Sæculi homines infeliciter felices sunt; Martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices. Quid enim dicit Apostolus? Quasi tristes, semper autem gaudentes. Quare semper? Et hic, & ibi. Hic enim unde gaudemus? De spe. Ibi unde gaudebimus? De re. Magnum gaudium habet Spes.* Ad illud Psalmi CXXV. Et facti sumus sicut consolati, subjicit: *idest, gavisi sumus tamquam consolationem accipientes. Consolatio non est, nisi miserorum; consolatio non est, nisi gementium, & lugentium. Quare quasi consolati, nisi quia adhuc gemimus? Gemimus in re, consolamur in Spe.* Enarratione autem in Psalmum CXLV. *Fideli homini, & peregrino in Sæculo,* inquiebat, *nulla est jucundior recordatio, quam Civitatis illius, unde peregrinatur; sed recordatio Civitatis in peregrinatione, non est sine dolore, atque suspirio. Spes tamen certa reditus nostri, etiam peregrinando tristes consolatur, & exhortatur. Hac ergo spe accepta, quæ non potest esse sine gaudio, gaudet anima.* Et rursus: *Sed quid te consolatur? Spes.* Denique Libro decimonono de Civitate

tate Dei, Capite quarto, oppugnata Stoicorum opinione, qui tranquillitatem animi, & felicitatem consequi hac se posse in vita arbitrabantur, aut lenire infelicitatem prosequutione immutabilis & sempiternæ honestatis, ita consequitur magnus ille Doctor: *Vita igitur, quæ istorum tam magnorum, tamque gravium malorum, aut premitur oneribus, aut subjacet casibus, nullo modo beata diceretur, si homines, qui hoc dicunt, sicut victi malis ingravescentibus, cum sibi ingerunt mortem, cedunt infelicitati, ita victi certis rationibus, cum quærunt beatam vitam, dignarentur cedere veritati, & non sibi putarent in ista mortalitate fine summi boni esse gaudendum; ubi virtutes ipsæ, quibus hic certe nihil melius, atque utilius in homine reperitur, quanto majora sunt adjutoria contra vim periculorum, laborum, dolorum, tanto fideliora testimonia miseriarum. Si enim veræ virtutes sunt, quæ nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse non possunt; non se profitentur hoc posse, ut nullas miserias patiantur homines, in quibus sunt: neque enim mendaces sunt veræ virtutes, ut hoc profiteantur; sed ut vita humana, quæ tot, & tantis hujus sæculi malis esse cogitur misera, spe futuri sæculi sit beata, sicut & salva*. Infinitus autem forem si universa optimi hujus Ecclesiæ Doctoris exscribere vellem testimonia, quæ huc profecto faciunt.

Cer-

Certe Auguſtinum legenti videri pene poſſet ſua ex tanto Scriptore Maupertuiſium fuiſſe mutuatum. Noverat ille etiam imperium, & auctoritatem quam ſecum ferre dicitur honeſtas; obligationem noverat quam habet homo ſe conformandi Legibus mentis & honeſtatis. Verum egregie adhuc ſcripſit, Tractatu XXVI. in Johannem : *Porro ſi Poetæ dicere licuit : trahit ſua quemque voluptas ; non neceſſitas, ſed voluptas ; non obligatio, ſed delectatio : quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt. Da amantem, & ſentit quod dico: da deſiderantem, da ferventem, da in iſta ſolitudine peregrinantem, atque ſitientem, & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem: da talem, & ſcit quid dicam.* Jure igitur & merito, philoſophica licet dicendi ratione, ſtatuit præclariſſimus Maupertuiſius, illis ipſis mediis, quibus nos æternam ſupernaturalemque indipiſcimur felicitatem, poſſe æque, niſi hujus felicitatem vitæ augere, ejusdem tamen lenire ſaltem, aut minuere infelicitatem.

C.

Ut autem laudes jure & merito tribuendæ sunt Maupertuisio infinitæ, quod recte adeo senserit de Philosophia morali Christianorum, ita malam in partem accipi nolim quæ contra statuit, disservitque Cl. Zanottus. Reor siquidem, animi ergo, neque consequutionibus prævisis, rerumque antiquatarum actum præjudiciis, hanc ipsum descendisse in arenam, propugandamque duxisse relate etiam ad nostram, Philosophiam moralem Stoicorum. Ajo ipsum imo, pia potius intentione id certe præstitisse. Dubitans namque nonnullos fortasse repertum iri de virtute & honestate non adeo sollicitos, quod æternorum spe & expectatione præmiorum vix, aut minime agantur; quo brevius ostenderet, virtutem adhuc & honestatem sequi ab ejsdem oportere, Stoicos illis proposuit saltem imitandos, qui, pro recepta apud Vulgus sententia, sine ullius expectatione præmii, quod honestum ordinatumque est sequi dicebantur. Optima igitur voluntate id illum præstitisse quisque mecum fateatur; tametsi æque fortasse fuisset præclarissimo huic Viro considerandum, frequentes nimium esse in præsens Lockii Sectatores; frequentioresque Libros illos, qui tenuitatem illius Systematis,

quod

quod ſoli honeſtati, ſoliſque virtutis imaginibus innititur, oſtendunt; adeoque virtuti & honeſtati inculcandæ, alia media & Syſtemata eſſe in præſens occupanda, uti ſexcenti mortalium præſtantiſſimi, remotis etiam in regionibus, docte adeo feliciterque præſtitere. Id quum ille non animadverterit, periculum pene videretur imminere, ne dum ipſe in tanta hodierna luce, & ſplendidiſſimo meridie, comparate ad Philoſophiam moralem Chriſtianorum, Stoicorum adhuc tenebras & umbras celebrare & exaggerare pergit; periculum, inquam, pene videretur imminere, ne, dum hac agendi ratione Adſeclas ſe Zanottus virtutis amantiſſimus acquiſiturum honeſtati noſtris in Regionibus confidit; exterorum aliquis, cui, morali conſideratione, æternæ & incommutabilis honeſtatis nomine, ſit Natura Deus, in animum inducat ſuum, novum e tanti viri manibus acceſſiſſe aris ſui Numinis donarium.

F I N I S.

Nos F. ANTONINUS BREMOND Sac. Theol. Professor, ac totius Ord. FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

Harum serie, nostrique auctoritate officii, quantum in nobis est, facultatem concedimus R. P. Magistro F. Casto Innocenti Ansaldi, Provinciæ nostræ Lombardiæ, typis edendi Opus ab ipso elaboratum, cui titulus: *Vindiciæ Maupertuisianæ &c.* dummodo a duobus in Sac. Theol. Magistris Ordinis nostri prelo dignum judicetur, & serventur cetera de Jure servanda. In nomine Patris &c. In quorum &c.

Dat. Romæ in Conventu nostro S. M. S. M. die 18. Maji 1754.

Fr. Antoninus Bremond
Magister Ordinis.

Reg. pag. 18.
Fr. Thomas Ignatius M. Natta
Magister, & Socius.

Atten-

Attente legi Librum A. R. P. Magiſtri F. Caſti Innocentis Anſaldi, cui titulus, *Vindiciæ Maupertuiſianæ &c.* omniaque inveni cum Orthodoxæ Religionis Scitis & effatis conſonare. Itaque dignum eum cenſeo qui typis committatur.

F. Alexander Pius Bolis
Sac. Theol. Magiſter, & Prior Cœnobii
S. M. Angelorum Ferrariæ.

Mandante Reverendiſſimo P. F. Antonino Bremond, Ordinis noſtri Magiſtro Generali, perlegi Vindicias Maupertuiſianas A. R. P. Magiſtri F. Caſti Innocentis Anſaldi in Atheneo Ferrarienſi Sac. Theol. Profeſſoris; in quibus nihil a ſana doctrina alienum offendi; quare eas typis digniſſimas cenſeo.

Ferrariæ in Ducali Cœnobio S. M. Angelorum Die 1. Junii 1754.

F. Pius Thomas Boeri Sac. Theol.
Moral. in publico Ferrarienſi
Atheneo Profeſſor.

Hu-

Hucusque edita Auctoris Opera.

Patriarchæ Josephi, Ægypti olim Proregis, Religio a criminationibus Basnagii vindicata. Neapoli excudebat Felix Carolus Mosca, 1738. in 8. Iterum Tomo XXIII. Collectionis Calogerianæ pag. 135. Venetiis apud Simonem Occhi 1741. Iterum Brixiæ, apud Johannem Baptistam Bossinum, 1747. in 8.

De inopia veterum Monumentorum pro copia Martyrum dignoscenda adversus Doduvellum Dissertatio. Mediolani apud Josephum Ricchinum Malatestam. 1740. in 8.

De traditione Principiorum Legis Naturalis Libri III. Mediolani, apud Josephum Ricchinum Malatestam. 1742. in 4.

De Romana Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium Evocatione Liber singularis. Brixiæ ex Typographia Johannis Mariæ Rizzardi, 1743. in 8. Iterum, Venetiis apud Petrum Valvasensem. 1753.

De Martyribus sine Sanguine altera adversus Doduvellum Dissertatio. Mediolani apud Josephum Ricchinum Malatestam. 1744. in 8.

De Forensi Judæorum Bucina Commentarius. Brixiæ excudebat Johannes Maria Rizzardi. 1745. in 4.

Herodiani Infanticidii Vindiciæ: Accedit Dissertatio de Loco Johannis aliter atque habet Vulgata, a nonnullis Patribus lecto. Brixiæ apud Johannem Mariam Rizzardum. 1746. in 4.

De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud Sanctos Patres Lectionibus ad Benedictum XIV. Pontificem Maximum Libri II. Veronæ apud Augustinum Carattoni. 1747. in 4.

De Futuro Sæculo ab Hebræis ante Captivitatem cognito adversus Johannem Clericum Commentarius. Mediolani in Regia Curia. 1748. in 8.

De Diptycho Quiriniano Epistola ad Eminentissimum Cardinalem Quirinum; Tomo XL. Collectionis Calogerianæ, pag. 187.

De Diptycho Quiriniano Epistola Secunda ad Eminentissimum Cardinalem Quirinum. Brixiæ apud Jacobum Turlinum,

1749.

1749. *in* 4. *Iterum*, *Venetiis*, *Tomo XLII. Collectionis Calogerianæ*, *pag.* 237.

De Tarsensi Hercule in viridi Jaspide insculpto ad Clariss. Virum, *Albertum Mazzolenum*, *Abbatem Casinensem Epistola*. *Brixiæ*, *apud Jacobum Turlinum*. 1749. *in* 4.

Oratio habita in Atheneo Ferrariensi, *dum Publici Sacræ Theologiæ Professoris munus auspicaretur*, *anno* MDCCL. *Ferrariæ apud Josephum Barberium*, 1750. *in* 4.

Oratio habita in Atheneo Ferrariensi anno MDCCLI. *Ferrariæ apud Josephum Barberium*. 1751. *in* 4.

De Baptismate in Spiritu Sancto & Igni Commentarius Sacer Philologico-Criticus, *cui accedunt binæ Orationes in Atheneo Ferrariensi habitæ*. *Mediolani in Regia Curia*. 1752. *in* 4.

Oratio in Atheneo Ferrariensi habita, *anno* MDCCLII. *Venetiis*, *apud Simonem Occhi*. 1752. *in* 4.

De Sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu adversus recentiores Græcos Dissertatio. *Venetiis apud Petrum Valvasensem*. 1753. *in* 4.

Oratio Ferrariensi in Atheneo habita in Dedicatione publicæ Bibliothecæ anno MDCCLIII. *Ferrariæ apud Josephum Barberium*. 1753. *in* 4.

Vindiciæ Maupertuisianæ ab Animadversionibus Viri Clarissimi Francisci Mariæ Zanotti, *quibus quantum Philosophia morali Stoicorum præstet Religio in infelicitate vitæ minuenda demonstratur*. *Venetiis*, *apud Petrum Valvasensem*, 1754. *in* 4.

Correctore D. Stephano Cavallieri.

